B. h. II, 70.
fl. ü, 19.
X 1881 553
II m 511

ULRICI OBRECHTI
Histor. In Academ. Argent.
Professoris Ordinarij.

De

VEXILLO IMPERIALI
DIATRIBA.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOSIÆ STÆDELII.
ANNO M DC LXXIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

I. N. I. C.

DISSERTATIO DE VEXILLO IMPERIALI

CAP. I.

Vexilli Imperialis nomina in formulis ſolennibus: Gundfanon: Fano Imperatoris: Regis Bannerium: Bareocium: Bavcrium: Standait: Saxonis Grammatici lectio defenſa: Bandum: Explicatus Stephani locus.

VExillum Imperiale ex quo tempore bellis ac expeditionib⁹ publicis Imperii Romano Germanici ſolenni quodam atque præcipuo auſpicio præfulſit, in conſtitutionum quoque communium, in diplomatum & privilegiorum, cæterorumque publicorum negociorum & actuum formulis, elogio ſingulari atque eximio ſignari diſcernique conſuevit. In quibus non ſine peculiari charactere Styli curialis & practici nominari ſubindè videas deß Römiſchen Reichs Sturm-Fahne/ deß H. Römiſchen Reichs Renn-Fahne/ deß Reichs-Paner/ deß heil. Röm. Reichs Obriſt Feldpanier.

Suntque appellationes iſtæ non hodie demum aut heri excogitatæ: quarum in vetuſtiſſimis gentis noſtræ monumentis veſtigia ſuperſunt. Nam & ante octingentos jam circiter annos *Otfridus Monachus Wiſſenburgenſis* primarium crucis vexillum nominaturus, Gundfanon expreſſit: Evang. lib. 5. c. 12.

Drag thu giloubi thu mir
Then Gundfanon anan thir.

Et in diplomate ſuo, quod ex tabulis Gorzienſibus producit *Chiffletius*, ipſe Imperator Otto II. *Fanonem Imperatoris* interpretatur *Imperiale vexillum*. Unde idonei ſe tueri exempli authoritate potuit *Leo Marſicanus*, qui in *Chronico Caſinenſi* totum aureum *Imperialem fanonem* nominavit. Quam uſurpationem à ſignificatu ſimpliciori, quo varium lintei genus veteribus Germanis *fano* notabat, defluxiſſe argumento ſunt loca, quæ *in Gloſſario Codici Legum Antiquarum* ſubnexo, copioſa eruditaque annotatione *Lindenbrogius* collegit. In quibus *Signa ſine fanone* hoc ſenſu exaudienda ſunt, quo in vetuſtis inſcriptionibus *haſtæ puræ ſine vexillis*, & apud *Florum ſigna auro ſericeiſq; vexillis vibrantia* leguntur.

Gomm. Lothar. c. 2. p. 10.

Lib. 3. c. 72.

voc. fano.

Inſcr. Grut. p. 414. inſc. 8

III. u. 8.

Baneriæ quoque & *Bannerij* in monumentis probatæ antiquitatis mentio occurrit. *Anonymus de vita Ludovici: Illa die faciebat antegardam Gaufridus de Rancone unus ex nobilioribus baronibus provinciæ Pictavienſis qui gerebat Regis* BANERIAM. Et addita interpretatione *Albertus Argentinenſis* de Carolo IV. Rege tum Romanorum: *Rex* BANNERIUM *ſuum, quod dicitur* Sturmfahn *ſuper turrim Eccleſiæ Spirenſis conſtituit: Et egreſſus civitatem cum ſua gente armatus populo eum ſequente cum* BANNERIO *ante caſtrum dictum Nova Curia, ipſum funditus deſtruxit.* Idem qui & mox *Helvetios ſub* BANNERIO *Baſilienſi conflictum iniiſſe memorat.*

ed. Pith. p. 144.

A. C. M. CCC. XLIX.

A. C. M. CCC. LI.

Bareocium autem & *Baverium* quæ in *Epiſtola Burchardi Notarij de Excidio Mediolanenſi* ex diſcrepante Codicum lectione *Freherus* exhibet, genuina non ſunt; ſed alterum ex *Carocio*, alterum ex *Banerio* corruptum. De *Banerio*, quæ dicta modo ſunt, fidem faciunt: *Carocium* autem dictum fuiſſe Mediolanenſium vexillum quod Friderico I. deditum eſt, præterquam quod aliunde ſatis conſtat, *Abbas Urſpergenſis* in ejusdem excidij deſcriptione, autor eſt: *Egreſſi igitur ſeorſim nobiles & ſeorſim populares proceſſerunt usq; ad Laudam: Plebei vero vexillum Sancti Ambroſij ſuper carociam ſuam advexerunt.* Quæ ad *Burchardi* narrationem optime congruunt. Nam & is *à populo Carocium advectum* ſcribit: *& in ejus ſummitate ſupereminuiſſe crucis effigiem in cujus anteriore parte Beatus Ambroſius fuerit depictus.*

Script. Germ. rom. I. p. 237

Chron. A. C. 1162. p. 222.

Atque

Atque hoc Mediolanensium *carocium* Germanis *Standait* vocatum idem *Burchardus* asserit. Quod autoritatem haud mediocrem conciliat vulgatæ *Saxonis Grammatici* lectioni, Scriptoris Burchardo huic tantum non coævi: apud quem inter cætera Rugiensium signa memoratur *Stanitia magnitudine ac colore insignis*: nomine à *Standaitia* Germanorum, uti tum supererat adhuc multarum vocum Germanicarum cum sermone Septentrionalium populorum consensus, non multum abhorrente: cujus loco *Suantouiti* substituendum, emendatione & conjectura subtili equidem eruditaq;, sed paulo violentiore Viri doctissimi *Henricus Ernstius* & *Stephanus* | *Johannes Stephanius* opinabantur. Sed & *Standalium* & *Standardum* Franco Gallis usurpari videas. *Rigord. de Gest. Philipp. Rex Philippus desuper corpora sanctorum duo standalia decenter insignita propriis manibus accepit. Brito Armorican. Philippid.*

Mox Otho Imperij declarans signa volensq;
Jam quasi promeriti rem prælibare trophæi
Standardum ædificat.

Lib. 14. Hist. Dan. p. 322.

not. ad Sax. d. loc. ed. Pith. p. 186. Lib. XI. init.

Bannerio ut eo revertamur, illud quoque vetustatis authoritatem conciliat, quod *Banda* & *Panda* Romanis vexilla τὰ ἐν ταῖς τάξεσιν ἐπίσημα, ut *Author Etymologici Magni* loquitur, ante complura secula nominari consueviſſe, *Procopius in Gothicis* & exinde *Suidas*, *Paulus Diaconus in Heraclio*, *Warnefridus in Langobardicis*, *Scriptores rei militaris* Græci Latinique passim testantur. *Stephanus Byzantinus* coævus *Procopio* Scriptor βάνδον à Caribus ad Romanos deductum, utrobique victoriam significasse pronuntiat. Ἄλα μὲν τὸν ἵππον (inquit de Caribus) βάνδα δὲ τὴν νίκην καλοῦσιν. ἔνθεν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις βάνδον τὴν νίκην βασίν. *Ala equum, banda victoriam illis designat, unde & apud Romanos bandum victoriam dicunt.* At vero *interpretationem illam unde accepit?* interrogat *Meursius*. Nec ego certo affirmaverim: conjicio tamen, Byzantinis Labarum ab elogio crucis quod in cœlo Constantinus viderat, ἐν τούτῳ νίκα *in hoc signo victor eris*: νίκην id est *victoriam* appellatum, causam *Stephano* præbuisse, ut apud Romanos quoque Labarum à victoria *bandi*, ipsamque adeo victoriam à βάνδα Carum *bandæ* nomen tulisse suspicaretur. Firmat hanc conjecturam crux ænea, quam ad imitationem crucis in cœlo visæ effictam & in Artopolio

voc. σημεῖα Lib IV. & de Bello Vandalico Lib. II.

περὶ πόλ. v. Ἀλά βανδα.

Gloss. Gr. Barb. voc. βάνδ.

lio Constantinopoli statutam ab inscriptione νικᾷ Constantinum Magnum νίκῳ sive νίκην, Heraclium ἀνίκητον vocasse *Nicephorus Callistus* memorat: Eodem haud dubie sensu, quo & vexillum crucis *Eusebius* subinde σαυρᾶ τρόπαιον & τὸ σωτήριον τρόπαιον atque ad hanc rem alicubi propius τὸ νικητικὸν τρόπαιον nominat: pro quo *vexilla victricia* apud *Ambrosium*, & in Constitutione *Justiniani* Imp. *signa victricia* leguntur.

Hist. Eccles. VIII, 32.

Ep. 29.

L ult. C. Locat.

CAP. II.

Aquilæ, signa, vexilla distincta ex mente Veterum. Vexillum, velum: non à velo dictum: Vexilla centuriarum: Sociorum: Tironum: Calonum: Veteranorum: Prætorianarum cohortium: Aquila primum signorum in Legione Romana: Sub Imperatoribus tamen vexilla prævaluere, Imagine Principum nominibusq; insignia: Labarum, ab effigie Imperatoris laureata, nomen; à Constantino Magno novam formam novumq; auspicium accepit. Σαυρίων

Suidæ contra Gretseri emendationem de sensum.

VExilla à *signis* non distinguit recentior militia: neque in expeditionibus Imperii usuque militari *Aquila Imperialis* aliter quam in vexillis exhiberi solet. Indeque & in publicis monumentis deß H. R. Reichs Paner / des H. R. Reichs-Fahne & deß H. R. Reichs Adler promiscue nominantur. Apud Veteres ista, si non semper verbis, quod *Lazius* asserit; forma tamen & usu discernebantur. Diserte *Tacitus*: *Medium inter signa Othonem milites vexillis circumdant.* *Suetonius* de Nerone: *Curuli residens apud Rostra triumphantis habitu inter signa militaria atq; vexilla.* Nec aquilam signis annumerant, qui proprie loquuntur. *Tacitus* iterum: *Legioni VII. abrepta quædam signa; ipsam Aquilam Atilius Verus servaverat.* & de Artabano *Suetonius*: *Transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumq; imagines adoravit.* Sed de Aquilarum quidem signorumq; forma, post *Lipsium* agere nihil attinet: Qui *vexilla* etiam graphice describit: *vela quadra, expansa ad hastam; qualia fere sunt vexilla templorum, quæ in lustratione & processibus anteferuntur*

de Republ. Rom. VII, 1.

I. H. 36. 1.

Ner. c. 13.

3. H. 22. 5.

Calig. c. 14.

de Mil. Rom IV. 5.

feruntur. Extantque tales vexillorum figuræ passim expressæ è nummis & lapidibus.

Non tamen hinc assentiendum Grammaticis fuerit, qui *vexillum à velo* tractum, contendunt. Ab usu quidem, quem *vehendis* navibus præstabant, translata ad exercitus *vexilla* constat: sed quæ nunc *vela* navium dicuntur, ea veteres *vexilla* nominabant: postea demum, *fuga literæ vastioris consuetudo elegans Latini sermonis velum admisit*: quod exemplis vocabulorum similium *Cicero* confirmat. Orator. ad Brut. c. 45.

Sicut autem in exercitu Romano Aquila Legiones, signa cohortes distinguebant: ita vexillis in Legione & cohorte, manipulis & centuriis discernendis, extra Legionem vero, promiscuus usus fuit. In Legione itaque, aquila una; signa pro cohortium; vexilla pro manipulorum & centuriarum numero plura fuere. *Tacitus* de militibus seditiosis tres Legiones miscere in unam agitantib°: *depulsi æmulatione, qua suæ quisq; Legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atq; una tres aquilas & signa cohortiũ locant*. 1. A. 18. 2.
Idem mox de manipulis earundem Legionum: *Interea Manipuli ante cœptam seditionem Nauportum missi, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt*. 1. A. 20. 1.
Plenius rem totam *Vegetius* expedit: *Primum signum totius legionis est Aquila, quam Aquilifer portat: Dracones etiam per singulas cohortes à Draconariis feruntur ad prælium. Sed antiqui quia sciebant in acie commisso bello celeriter ordines, aciesq; turbari, atq; confundi; ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt, ita ut ex qua cohorte, vel quota esset centuria, in illo vexillo literis esset asscriptum*. de Re Mil. II, 13.
Ipsa res docet, *Vegetium* non de manipulis *mediæ ætatis*, ut *Stevvechio* visum, sed de antiquissimis loqui: quos ex instituto Romuli militibus centum constitisse *Lipsius* docet: quosque processu temporis subinde auctos & in novos ordines novasque partes distributos ad noviss[i]ma usque tempora dirigi vexillis consuevisse, præter infinita aliorum testimonia, *Constantinus Porphyrogeneta in Tactics*, *Mauritius in Strategico* passim confirmant. ad Veget. II, 13. de Mil. Rom lib. 2. dial. 2. Polyb. lib. VI. Liv. VIII 8.

Sed horum quidem ævo communia jam erant Legioni & cohortibus vexilla, quæ prius in Legione centuriis manipulisq; fuerant propria. Neque enim subscribere doctissimo *Schelio* possum: qui *vexillum centuriæ & cohortis signum*: peculiariter tamen in Hygin. p. 36.

cohortis fuiſſe tradit: cum vexilla conſtet diſcernendis cohortibus non niſi extra ordinem adhibita. Teſtis locupletiſſimus iterum *Tacitus*: apud quem *adſiſtentem concionem* Germanicus *diſcedere in manipulos jubet, ſic melius audituros reſponſum; vexilla præferri*, ut id ſaltem *diſcerneret cohortes*.

1. A. 34, 1.

Extra Legionem *vexilla ſociûm* paſſim videas memorari. *Livio* præſertim: quem omnino fatendum eſt generaliter loqui, quoties auxiliaribus cohortibus attribuit *ſigna*: Legionario militi propria: ut præter alia, argumento eſt notabilis & veluti perpetua diſtinctio, qua *ſubſignanum militem* ab *auxiliis* ſeparant ſcriptores. *Tacitus* de Vocula: *id ſolum ut in tumultu monuit, ſubſignano milite media firmare; auxilia paſſim circumfuſa ſunt.* Idem qui ἐπεξηγήσει memorabili, *ſubſignanum militem & grave legionum agmen* alibi conjungit: poſtquam ab utroque, *Gallorum, Luſitanorum, Britannorumq; cohortes, vexilla Germanorum, alam Petrinam* diſcreviſſet. *Germanicorum* inde *vexillationem* dixit *Suetonius*: duravitque hoc diſcrimen, quoad aliquid ſpeciei, honorisque Legioni Romanæ ex veteri militia ſuperfuit, ut *equites Legionarij*, quique in *vexillationibus* militabant, ſeparatim nominarentur. Ut indiſtincte accipiendum non ſit, quod apud Cedrenum βηξιλλατίωνες, οἱ Ῥωμαίων ἱππεῖς explicatæ leguntur. vid. *Veget. de Re mil. lib. 2. c. 1. l. ult. C. de his qui non implet. ſtip. Not. Imper. Orient. c. 31. & ſeqq. Occident. cap. 26. & ſeqq. Add. Lipſ. de Mil. Rom. lib. 4. dial. 5. Stevvech. ad Veget. d. l. Scheffer. ad Maurit. Strateg. lib. 2. c. 5.*

4. H. 33, 2.

1. H. 70. 4.

Galb. c 20.

Et invaluerat prorſus in regulam ſolennem, Romanæ militiæ obſervantia, ut non niſi qui pleno ſacramento corpori Legionis inſerti eſſent, ſub ſignis; cæteri quos vel conditio vel privilegium, juſtæ militiæ muniis exemiſſet, ſub vexillis ducerentur. Quemadmodum apud *Livium* ſæpius ſupplementa exercitibus ſub vexillo miſſa legimus: & *vexillum tironum* ex hoc genere *in Suriam euntium interceptum à Piſone* memorat *Tacitus*. Accipitque hinc lucem *Suetonij* illud de Auguſto: *Libertino milite bis uſus eſt: ſemel ad præſidium Coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eosq; ſervos adhuc viris fœminisq; pecunioſioribus indictos, ac ſine mora manumiſſos, ſub priore vexillo habuit, neq; aut commiſtos cum ingenuis aut eodem modo armatos.* Sub *primore vexillo* legi mallet *Caſaubonus*: Sed inſtituto Auguſti haud dubie convenientius

2. A. 78. 3.

Aug. c. 25.

tius

tius fuerit, si quos indignos judicaverat, ut cum ingenuis commiscerentur aut eodem modo armarentur, neque Legionibus insertos, neque sub signa distributos, sed sub eodem vexillo retentos existimemus, sub quo primum fuerant adlecti. Ut quos vilitas status à signis segregaverat, certa militaris disciplinæ ordinisque cautio vexillis regendos addixisse censeatur.

Ex qua viliſſimæ quoque & confusæ alias *calonum* turbæ *data vexilla* constat: ipsaque impedimenta etiam *sub quibusdam signis ordinata.* ut *Vegetio* notatum. de Re Mil. III, 6.

Sicut autem hos ab Aquilis signisque, contemptus removerat, ita veteranum militem ad vexilla, diuturnæ militiæ meritum redigebat. Sub quibus, dimissi jam exauctoratique & à Legionibus suis plerumque divisi, interim retinebantur, donec agri & justa emeritorum stipendiorum præmia iis persolverentur. Unde nata seditiosis militibus querendi exprobrandique occasio: *ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eosdem labores perferre.* Tac. 1. A. 17. 3. 6. & 1, A. 26, 1. Neque tamen ultra his querelis profectum, quam ut nomine Principis rescriberetur: *missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari, qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo; cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* 1. A 36, 4. Estque de his inter eruditos quæsitum; an ad illos pertineret, quæ toties in veterum scriptis *vexillariorum* mentio occurrit? de qua re virorum doctissimorum *Turnebi, Lipsii, Salmasii, Schelij* nota neque in hunc locum prolixius repetenda disputatio est.

Cæterum immunitatem à reliquis militiæ laboribus veterano militi concessam, Prætorianis quoque cohortibus vindicat *Festus*: quibus itidem *vexillum* tribuit *Tacitus.* voc. prætor. cohor. Et fuit fortasse Prætorianum vexillum, quale *Dioni* describitur: Σημεῖον τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱππίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτοῖς πρὸς δήλωσιν τῆς στρατᾶς καὶ τῆς στρατηγᾶς σφῶν τῆς αὐτοκράτορος ἐχόντων. *Vexillum quoddam ex illis magnis, quæ puniceis literis noscendum exercitum summumq; ejus Imperatorem exhibebant.* 3. H. 21, 4. Lib. 40. Noscebatur autem in Prætoriano vexillo non nomine tantum Imperator sed effigie: qualis apud *Tacitum* Galbæ imago fuit, quam *vexillarius comitantis Imperatorem cohortis dereptam solo afflixit.* 1 H. 41, 1.

Unde & crevisse paulatim vexillis imagine Principum insignibus

signibus venerationem existimo, ut in Legione, alterum ab Aquila, indeque in universo exercitu primarium auspicio & religione locum occuparent. Nam cum abdicatâ *Romuli perticâ*, inter alia signa militaria, aquila quoque, à Persis haud dubie ad Romanos translata, ordines anteiret, C. *Marius eam in secundo consulatu suo, legionibus propriam dicavit*: mansitque hinc etiam sub Imperatoribus, *Aquila primum Imperij Legionumq; signum, à quo victoriæ omen caperetur, quoties in hostem esset movendum.* Imagines tamen Principum unâ adorabantur: Fuitque adeo usitatæ venerationis formula, ad quam illectum Artabanum Parthorum Regem *Suetonius* tradit: *ut Aquilas & signa Romana Cæsarumq; imagines adoraret.*

Plut. in vit. Rom.
Plin. Histor. Nat. X, 4.
Ioseph. de Bell. Iud. lib. 3. Veget. de Re Mil. II, 6.
Calig. c 14. add. Vitell. c. 2.

In qua licet verbis ac specie primus Aquilis honor tribuatur, haud dubie tamen interior atque sublimior cultus militaris publicæque venerationis character ad imagines Principum pertinuit; quas *tanquam divina & præsentia signa* Romanus exercitus *venerabatur.* Ex quo præsertim in morem vertit, ut imposita vexillis vel inde detracta Imperatoris effigies nomenque, pro delati abrogative Imperij pignore haberetur: quod exempla *Herodiano* aliisque relata testantur: quæ satis copiosum hujus observationis argumentum exhibent, unde cum *Salmasio* talia vexilla inter *insignia Principatus σύμβολα τῆς βασιλείας* jure optimo queas referre. Suffragante inprimis apparatus Imperatorij splendore, quo ipsa quidem vexilla *purpurea, auro argentoq; rigentia*, imagines vero Principum *στεφάνοις καὶ δάφναις κεκοσμημέναι* coronis & *lauro exornatæ* describuntur. *ὅπερ ἦν σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς εἰκόνας ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Quod* erat *insigne quo effigies Principum à privatorum imaginibus dignoscebantur.* ut immutata nonnihil *Herodiani* verba huc transferam.

Veget. de Re mil. II, 6.
II, 6. & VIII, 1.
in Lamprid. Sever. p. 210 ed. Paris.
Herod. VIII, 6.
VII, 6.

Neque difficulter hinc moveor ut existimem, etiam antequam à Constantino Magno vexilli Imperialis eminentia ad salutare crucis trophæum esset translata, vexillum præ cæteris magnitudine, splendore, & communi totius exercitus cultu reverentiaque eximium laureata Romani Principis effigie præfulsisse: & (si licet in re contrariis magnorum virorum sententiis intricata, conjecturam ulterius producere) nominis quoque originem hinc fluxisse; ut à regnatrice & venerabili lauro, *Laua-*

rum

rum primo Romanis, & inde familiari literarum permutatione flexuque *Labarum* diceretur. Quorum *alteri* non lucem duntaxat sed robur conciliat, quod passim Constantinus Magnus nihil aliud quam transformasse præcipuum Romanorum vexillum in signum crucis memoratur : τὸ ἐπισημότατον σύμβολον τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς εἰς χριστὸν σημεῖον μεταβαλεῖν. ut *Sozomenus* loquitur. Apud quem præcesserat : ἐκέλευσεν εἰς σαυρὸν σύμβολον μετασκευάσαι τὸ παρὰ ῥωμαίοις καλούμενον λάβαρον. σημεῖον δὲ τοῦτο πολεμικὸν τῶν ἄλλων τιμιώτερον, καθότι ἀεὶ τὸ βασιλέως ἡγεῖσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμισο παρὰ τῶν στρατιῶν. *Jussit in symbolum crucis mutare, id quod Romani Laborum vocabant : militare autem signum hoc erat præ cæteris honoratius : quippe quod & præcedere semper Imperatorem, & à militibus adorari consueverat.* Sequitur de Juliano Apostata alibi : μεταποιεῖν ἔγνωκεν εἰς τὸ πρότερον σχῆμα, τὸ κορυφαῖον τῶν ῥωμαϊκῶν συντημάτων, ὅπερ ὁ Κωνσταντῖνος κατὰ θεῖον πρόσταγμα εἰς σαυρὸν σύμβολον μετετύπωσεν. Ubi & in quibusvis aliis monumentis statuisque publicis imagini Imperatoris præter Martem & Mercurium, Jovem additum οἱάγε ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προφαινόμενον, καὶ στέφανον καὶ ἀλουργίδα τὰ σύμβολα τῆς βασιλείας παρέχοντα : *Tanquam apparentem de cœlo, atq; Imperatori insignia Imperij coronam & purpuram porrigentem* Historicus recenset. *Alterum* si cui nimis longe petitum videatur ; solabitur nos *tum* exemplum Insignis Theologi *Gregorij Nazianzeni* cujus τὸ λυτήριον καμάτων (solutio Laborum) non minus, quam aliorum excogitatæ longo studio conjecturæ, à viris eruditis ut nimis *longinquum* pridem explosum est : *tum* quod ratio tamen & indicium supereſt, derivationem nostram neque vocabuli genio, neque usui temporum illorum, neque Romani Byzantinique populi consuetudini refragari. Nam & in vetustis monumentis pro *Labaro, Lavarum* positum reperiri *Stewechius* annotavit ; ne de permutatione istarum literarum *Scaligero* consignata exscribam : & imagines Imperatorias, quæ solenni pompa cærimoniaque inter publicæ lætitiæ festivitates, subinde *populis inhiantibus inferebantur*, promiscue λαβεῶτα & λαυρῶτα Græco Romanis dicta fuisse, multa nominum Scriptorumque congerie, si id nunc ageremus, posset demonstrari. Præter *Ecloga Basilicῶν*, luculentum maxime te-

H.E. lib. 1. c. 4.

Lib. 5. c. 17.

Orat. in Julian. 1.

Lipsi not. ad Lib. 3. de Cruc. c. 15.

ad Veget. III 17.

Anim. in Euseb. p. 112. ed. noviss.

L. un. C. Publ. læt. vel cons. nunt. vel insin.

Lib. 56. tit. 17. c. 65.

 stimo-

Gloſſar. Gr. Barb. voc. λαυρᾶτον ad Lib. 12. Cod. tit. ult.

ſtimonium ex *Optato*, *Meurſius*; & iisdem verbis ex *Actis Synodi Nicænæ II.* *Cujacius* exhibent: *Laurata & iconas miſſas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Quæ non penitus à *Labaro* noſtro abhorre-re, argumento eſt, quod indidem *Cujacius* deſcripſit: *Sic Regum Laurata Græcorum vulgus apud Conſtantinopolim vocat Imperiale ſignum.* Nomen autem *Lauratorum*, non ab eo, quod arte ac *labore* ſum-mo effigiata eſſent, ut poſt *Gloſſatorem Nomicum Lindenbrogio Re-* de Imp. Rom. lib. 2. c. 12. dict. loc. *liq. Obſervat. in Amm. Marcell. ad p.* 113. viſum eſt, neq; *à labris* oſcu-lantium, quæ *Jul. Cæſaris Bulengeri* conjectura fuit, ſed à *Lauro* defluxiſſe omnino verior *Meurſij* ſententia eſt.

Cætera quæ de Labaro copioſe à multis & diligenter ſunt ano-tata, in hunc locum colligere neq; animus fert, neque hujus ſcri-pturæ inſtitutum permittit. Illud tamen in hoc tranſcurſu vel duobus verbis, nec ſine veneratione Divinorum operum miracu-lorumque fuerit profitendum: Ab eo demum tempore quo di-vinitus ſibi præmonſtratum cœleſtis militiæ ſymbolum in La-baro Conſtantinus M. expreſſit, *Vexillum Imperiale*, ut certa jam communis auſpicii in exercitu Romano præcellentia notari conſueverat, ita genuinam ſanctioris prærogativæ notam æſti-mationemq; meruiſſe. Formam ejus ex ipſius Imperatoris deſcri-ptione, accurate præ cæteris *Euſebius, de vit. Conſtant. I, 30.* & com-plures numi exprimunt, quos *Cardinalis Baronius in Annalibus, Gret-* A. C. 325. & ſeqq. *ſerus de Cruce Chriſti tom. 1. lib. 2. cap. 32. & ſeqq. & tom. 3. lib. 1. cap. 4. & ſeqq. Lipſius de cruce lib. 3. c. 15. Henricus Spelmannus in Aſpilogia* & ex incomparabili cimeliarchio Amicus noſter *Carolus Patinus* publi-Impp. Rom. Numiſm. ſub nummis Conſtantii caverunt. Eſtque in primis plena profundæ pietatis meditatio, qua Theologi Chriſtiani apud *Sozomenum* tam ſanctæ imaginis interpretationem ad naſcentis, patientis, reſurgentis Servatoris noſtri, de inferno triumphum producunt. Et, ſi licet ad reli-H. E. lib. 1. c. 3. qua reſpicere: cum præſentiſſimæ jam divinitatis vigore

Prudent. contr. Sym. I. 487.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signaret Labarum

Quo non aſcenſura ſperaretur *virtus militum, fides exercituum, Glo-ria Romanorum?* quid auctoramento ſanctius, quod robur Legio-num, fiduciam cohortium, domino exercituum conſecraverat? quid auſpicatius militia, quæ in Imperatore & ſupra Imperato-

rem,

rem divinæ gratiæ ſymbolum, theſſeram ſalutis, æternæ beatitudinis lauream venerabatur: quid auguſtius vexillo quod cum Principis Sacrati majeſtate præſidium divinitatis, & familiarius quoddam interiusque Dei promulgabat commercium? quid glorioſius victoria, qua per Imperatorem Chriſtus, Imperator per Chriſtum, cum Chriſto, in Chriſto, Dei & divinitatis hoſtes terrebat, vincebat, profligabat? Ipſe certe haud ſegniter hanc Imperij ſui temporumque felicitatem Princeps triumphator agnovit: qui deinceps, *Euſebio* teſte, τούτῳ τῷ σωτηρίῳ σημείῳ, πάσης ἀντικειμένης, καὶ πολεμίας δυνάμεως ἀμυντηρίῳ διαπαντὸς ἐχρήτο. τῶν δὲ στρατοπέδων ἁπάντων ἡγεῖσθαι τούτου ὁμοιώματα, προσέταξεν. *hoc ſalutari ſigno tanquam munimento, adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias ſemper eſt uſus; aliaq; ad ejus ſimilitudinem expreſſa ſigna cunctis exercitibus præferri juſſit.* de vit. Conſtan. lib. I, c. 31.

Ad quæ ὁμοιώματα τοῦ λαβάρου commodius quam ad Labarum ipſum referri poſſe σαυείων arbitror: εἶδος σημαίας ἢ φλαμύλου, *vexilli aut flamulæ ſpeciem*: ut *Suidas* interpretatur. Id cum ignorare ſe quid eſſet, ingenue *Lipſius de Mil. Rom. IV*, 5. fuiſſet profeſſus: *Gretſerus* σαυείων potius legendum conjecit: quod tamen uſitata *Suidæ* vocabulorum collocatio non admittit: præcedit enim σαυλοπρωκτιᾶν, ſequitur σαῦρα: inter quæ niſi omnia me fallunt, σαυείων locum accipere non poteſt. Retinendum itaque σαυείων: quo Græci ſtudio lenioris elegantiorisque pronuntiationis uti maluerunt. quibus ex eadem ratione σαυρωτὴρ cuſpis in ima parte haſtæ præfixa, atque à Græcis ad Romanos translata ὡς σαυρωτήρ τις ὤν· παρὰ τὸ σαυροῦσθαι dictus eſt: ut *Etymologici Sylburgiani Scriptor* obſervavit. voc. σαυείων ad Codin de offic. Conſt. lib. 3, c. 1. n. 19. Adde Scheffer. ad Maur. Strateg. lib. 3 cap 1. Polyb. lib. VI. voc. σαυρωτήρ.

CAP. III.

Imperatorum Conſtantinopol. διβέλλιον. *Auriflamma Regum Francicorum: Henrici Aucupis & Ottonis Magni Angelus: Friderici I. Aquila: Standardus Ottonis IV. Vexillum Imperiale majus ſive pedeſtre: minus ſive equeſtre: horum inſigne Aquila nigra in campo aureo: Vexillum Imperiale rubrum: vexillum St. Georgij: de vexillo Argentoratenſi digreſſio.*

QUæ à tam illuſtri principio deinceps fata exceperunt Labarum, alij curioſius inquiſiverunt.

In Oriente noviſſimis temporibus, jam ad interitum vergente Græcorum Principatu, vexillum inter cætera primarium, διβέλλιον nominatum ex *Codino* diſcimus. *Divum velum* id *Hadrianus Junius*; Sed rectius, meo quidem judicio, *duplex velum* ſive *divelium Meurſius* (*Gloſſ. Gr. Barb. voc.* διβελ.) & poſt eum *Gretſerus* reddidere. Formam ejus & inſignia, nemo quod ſciam, expreſſit, qua autem dignatione habitum fuerit, paſſim *Codinus* indicat: cujus teſtimonio conſtat, *illud Imperatori quocunq; ſe conferret bello paceq; præferri conſuevisſe: & cum Imperatoria ſtamula reliqua eſſent gemina ſemper eâdem figurâ inſignita, hoc unum & ſingulare manſiſſe.*

verſ. Curopalat. paſſ. verſ. Codin. paſſ. deOff. Conſtant. c. 5. n. 63

c. 6. n. 62.

In occidente, ex quo ſumma rerum ad Francos fuerat delata, non deſunt, qui vexilli Imperialis honorem *vexillo Dionyſiano* ſive *Auriflammæ* vindicent: qua non Reges tantum Francorum ſed & Imperatores inde à Carolo M. uſos aliqui contendunt: quod ego tanquam incompertum nec facile ex coævis monumentis demonſtrandum, in medio relinquo. Poſt *Rigordum de Geſt. Philipp.* & *Britonem Armoricanum* aliosque rerum Francicarum Scriptores proprios, qui non ſine veneratione ſingulari & inſigni elogio ſolent *Auriflammæ* meminiſſe, erudite inprimis illam à vexillo Regio diſtinxit *Chiffletius Lum. Salic. ad vind. Hiſpan. lum.* 4. *fac.* 2. & 3. Cætera vero quæ huc pertinent, diligenter admodum copioſeque collegit *Limnæus Lib.* 6. *de I. P. c.* 6. *n.* 114. & *in Addit. tom.* 1. *cap.* 14. *n.* 33. Add. *Notit. Regn. Franc. lib.* 1. *cap.* 11.

ap. Pith. p. 186. Philippid. lib XI.

Vulgò Imperatoria ſucceſſorum Caroli Magni vexilla *Aquilâ nigrâ in campo aureo* inſigniri deſcribique videas: quod indiſtincte admitti non poteſt: cum *Henrici Aucupis*, *Imperatoris*, *ſignum maximum vocabulo effigieq; Angeli inſignitum fuiſſe*, *Witichindus* teſtetur: & ex *eodem* conſtet, Patris inſignia filium quoque *Ottonem I.* in primario vexillo retinuiſſe. *In quinta Legione*, inquit ille, *quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipſe Princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacriq; juventute, coramq; eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine circumſeptus.* Quæ verba Michaëlem Archangelum τὸν ἀρχιστρατηγὸν uti Græcis dicitur, haud obſcure deſignant:

Annal. Lib. 1. p. 13. edit. Meib.

Lib. 3. p. 29.

designant: Ut adeo characterem hunc Angeli Ottoniani, *penes quem victoria*, cum ex *Witichindo* cætera describeret *Abbas Urspergensis*, non debuerit negligere. Chron. A.C. 955.

Antiquam tamen & ante complura secula in Germanorum Imperatorum vexillis usurpatam Romanam Aquilam, nemo inficias iverit. Friderici certe I. vexillum nuspiam reperias aliter signari. *Radevicus* in describendo exercitu, quo Mediolanum obsedit Fridericus, *circum Aquilam*, ait, *& signa alia, tubicines & cornicines: & Henricus Abbas, in Chronico Laurishamensi, sub Friderico Creman obsidente Imperialibus militasse Aquilis* traditur: Quas in eadem obsidione etiam *Guntherus* Friderico tribuit: de Gest. Frider. lib. 1. c. 32. p. 93. ed. Freher.

-- -- *Sed nunc ubi regia signa*
Cæsaris & Latias vento quatiente volucres
In campis volitare suis, ipsumq; verenda
Majestate suos hortantem ad bella maniplos
Aspiciunt. Ligurin lib. 10.

Regiam avem *idem alibi* vocaverat:

At qua Cæsareæ, signum Latiale cohortis
Regia fulget avis: Ligurin, lib. 7.

Hancque splendido postea & magnifico apparatu Otto IV. Imperator instruxit: cujus Standardum memorabili descriptione *Brito Armonicanus* illustratum exhibet: Philipp. lib. XI.

Mox Otho Imperij declarans signa volensq;
Iam quasi promeriti rem præliare trophæi
Standardum ædificat mirogs insignit honore:
Imperij ut fasces tanto illustranie paratu
Se dominatorem toties disputet orbis,
Erigit in carro palum, palogs draconem
Implicat, ut possit procul hinc atq; inde videri,
Hauriat & ventos, cauda tumefactus & alis
Dentibus horrescens rictusq; patentis hiatu;
Quem super aurata volucer Iovis imminet ala,
Tota superficies cujus nitet aurea, solis
AEmula, quo jactat plus se splendoris habere.

Erectum in carro palum, quem *Brito* memorat, Othonem ab Italis desumsisse opinor: Quorum carocium in *Epistola Burchardi* apud *Freherum* describitur *currus multiplici robore conseptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissime ligatus; de cujus medio surrexit arbor procera ab imo usq; ad summum ferro nervis & funibus tenacissime circumtecta.* Adde *plaustrum Florentinorum* eodem fere modo constructum, quod exhibet *Nicolaus Machiavellus Hist. Florent. lib. 2. p. 62.* & *crucem altissimam* quam *in quodam plaustro* itidem *erectam & rubro vexillo decoratam, contra Henricum IV. Imperatorem, Suevos in prœlium deduxisse, Bertoldus Constantinensis* autor est. Aquila vero, quanquam Imperij insigne etiam tum fuerit, prout tamen imminens draconi exhibebatur, vetustissimum Saxonum, ex quorum gente Otho descenderat, vexillum referebat. Testis rei *Witichindus lib. I. Annal.* & ex eo *Urspergensis Abbas in Chronico*, *Hic arripiens signum* (inquiunt de Hathagasto) *quod apud eos habebatur sacrum, leonis atq; draconis atq; desuper Aquilæ volantis insignitum effigie, ait.* cum quibus insignibus etiamnum hodie Mathildem Augustam Henrici Aucupis conjugem in monasterio Pœlede in agro Eichsfeldensi conspici *Meibomius* annotat. Cæterum in describendo volatilis draconis rictus patentis hiatu, veteres imitatus est *Armoricanus* noster: *Claudianum* præcipue in illis:

Tom. I. pag. 237.

Append. ad Herman. Cõtract. A. C. 1086.

p. 5. p. 147.

de III Cons. Honor. v. 138

——— *hi picta draconum*
Colla levant multusq; tumet per nubila serpens
Iratus stimulante Noto, vivitq; receptis
Flatibus & vario mentitur sibila tractu:

Vel ad quem propius accessit, *Sidonium Apollinarem*, apud quem:

Panegyr. Major. v. 409.

——— *jam textilis anguis*
Discurrit per utramq; aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem; pannoq; furorem
Aura facit, quoties crassatur vectile tergum
Flatibus & nimium jam non capit alvus inane.

Infra quorum tamen efficaciam & spiritum facile nostrum ævi quo vixit genius coarctavit.

Cæterum ad tempora inde sequentia propius jam & so-

lenniori

leniori applicatione ſpectat obſervatio, qua vexillum Imperiale in vexillum *majus* diſtinguit *Limnæus*, quod peditatui, & *minus*, quod equitatui adſcribit: Alio penitus ſenſu uſuque, quam quo vexilla *majora, minora, & ab his ſeparata* ex *Leone Tactico* aliisque *Höpingius* enumerat: *de jur. inſign. c. 17. n. 318.* Addit. ad I. P. tom. 1. lib. 1. c. 14. n. 33.

Minus ſive equeſtre vexillum, deß Heil. Reichs Renn- und Sturmfahne deſcribitur apud *Hortlederum* in Actis inveſtituræ Sereniſſimi Principis Eberhardi Ducis Würtembergici, ein gelbe Fahnen mit einem ſchwartzen Adler: & exhibetur in inſignibus Sereniſſimæ domus Würtembergicæ. Sed Aquila in his unicepſ eſt, quæ in vexillo Imperiali majore, cæterisque inſignibus Imperialibus, iisdem quidem coloribus, ſed biceps exprimitur: de quâ, dicta prolixius aliis repetere, præter inſtitutum fuerit: Unicum productis cumulatisque apud *Limnæum*, *Hœpingium* aliosque, teſtimonium addidiſſe contenti erimus, *Nicolai Uptoni, Canonici Sarisburienſis* ante ducentos amplius annos inter Heraldicos ſcriptores præcipui: cujus *lib. 3. de militari officio*, hæc inſignium Imperialium interpretatio extat: *Portabit Romanus Imperator unam Aquilam nigram, fiſſam & explanatam in campo aureo, habebit autem campum aureum eo quod aurum eſt metallum mitiſſimum ac nobiliſſimum: Aquilam fiſſam, quia Imperator in ſuis factis debet eſſe indifferens ad utramq; partem: & ille niger color in Aquila ſignat ferocitatem, pro eo quod Imperator non eſſet nimis mitis aut vecors.* Quæ de nobilitate & eminentia coloris aurei hic traduntur, ea cum regulis artis Heraldicæ ſatis probe congruunt: neque ea quæ de Aquila fiſſâ annotantur, poſt prolixas *de Aquila bicipite & bicorpore* diſputationes inter *Scriptores Juris Publici* agitatas, quenquam morari poſſunt. Nigrum vero colorem longe commodius ex eo quis Imperiali Aquilæ vindicaverit, quod ex *Bartolo* repetit *Petrus de Andlo* aliique: *in figuris animalium & aliarum rerum, cum ars imitetur naturam, illa inſignia nobiliora eſſe, quæ magis appropinguant naturæ & proprietati rei, quam deſignant.* Act. Publ. tom. I. libr. 3. c. 1. add. Lintur. Append ad faſcic. tẽpor. A. C. 1495. de I. P. I, 14, 10. & ſeq. de jur. inſign c. 6. n. 87. & ſeqq. tit. de color Aur. de inſign. n. 14. de Imper. Rom. Germ. lib. 2. c. 14.

Præter hæc, aliud inſuper *vexillum Imperiale*, præſertim in inveſtitura feudorum regalium, ſubinde occurrit, *rubrum, quod ſanguineum* den Blut-Fahn *vocant, ab omni armorum ſeu inſignium pictura vacuum ac purum:* ut in enarranda inveſtitura Electorali

Mauritij

apud Goldast. Pol. Imper. VI, 4. p. 368.
VI, 3. p. 363. & 364.
ap Goldast. Pol. Imp VI, 2, p. 360,

Mauritij Ducis Saxoniæ, *Mameranus* describit: quod & in investitura Ducum Pomeraniæ prælatum, descriptio ejus solennitatis fidem facit, quæ & *in Politicis Imperialibus à Goldasto*, & *à Crusio in Analibus Suevicis* publicata extat: ubi promiscue *vexillum puniceum Imperiale, vexillum Imperiale seu sanguineum, vexillum Imperij rubrum* videas nominari. *Franciscus Modius* itidem in investitura Ducis Ferrariensis auspiciis Fridericii III. Imp. celebrata, prælatum *vexillum rubrum ex toto* memorat: addita interpretatione: *supremam Cæsaris & præsentem potestatem majestatemq; eo designatam fuisse.* Quod tamen *alij* ad *regalia*; *nonnulli* ad *merum Imperium* quod investiendo conceditur malunt referre. *vid. Höping. de jur. insign. c. 17. n. 313.*

Lintur. append. ad fasc temp, A.C. 1495.

Trahunt huc nonnulli *Vexillum Sancti Georgij*, quod & in *Cerimoniali Romano*, *Cæsaris vexillum* nominatur. Formam describit *Casparus à Lerch* Reichs Ritterliche Adels Freyh. ber. *fundam. 1. n. 95.* ubi & ratio translatæ ad vexillum militare, hujus imaginis indagatur. Controversiam de jure gestandi hujus vexilli exhibet *Limnæus addit. ad I. P. tom. 1. ad VI, 3. 57. p. 71.* & aliam *p. 73.* quibus haud dubie occasio constitutioni data, quâ in *Comitiis Spirensibus de Anno* 1542. gestatio ejus vexilli, *si Aquila Imperialis explicaretur*, inhibita est.

Sed hæc quidem, quæque alia vexillorum insignia usus & mos gentium publicus, huic illive populo propria effecit, satis pleruinque characteris solennioris vetustas, gravitas, autoritas, tuetur. In cæteris laxior censuræ locus datur vel relinquitur, ubi arbitrario emblematum invento arctificioque & vario humani ingenij lusu, indolem inventoris temporumque & fortunæ publicæ genium, sæpe efficaciter exprimi, sæpius ambitiose ostentari videmus. Nam quod aliud de eo emblematum genere, & instituto judicium ferri queat, quo Carolus Burgundus Novesium obsidens, usurpatam quondam *Catilinæ* sententiam in vexillo rubro aureis literis expresserat: HIS MAXIMUM EST PERICULUM, QUI MAXIME TIMENT. Et solet hic præterea subtili plerumque compendio sedem sortiri, prolixum humanorum affectuum ænigma, prout illi spe metuve, odio, cupidine impelluntur. Hic cum pietate superstitio, fiducia cum temeritate, gravitas cum arrogantia, cum ambitiosa affe-

Chron. Belg Magn. ap. Pistor. t. 3. p. 118.
Salust Catilin. c, 58.

ctatione,

ctatione, decoræ & politæ elegantiæ ſolertia certat & interdum miſcetur : Sicut exempla aliis collecta ſatis copioſum hujus diſciplinæ argumentum continent. Quibus adjungi venerabili antiquitate, ſplendore, magnitudine ſua meretur, Illuſtris Argentoratenſis Reipublicæ pedeſtre vexillum; album, & ultra modum uſitatum ingens, in cujus medio B. Virgo ſedens, porrectis in altum expanſisque manibus & tunicæ quam induta eſt, manicis laxe longeque dependentibus, puerulum orbis Salvatorem, in cujus manibus lilium Argentoratenſe, ſinu præfert, additâ inſcriptione literis majuſculis atro colore in fundo aureo exaratis: VENITE AD PUERUM CHRISTUM OMNES QUI ONERATI ESTIS. Accurate, pretioſe, ſplendide auro argentoque & quæſitiſſimis coloribus depictum opus. Cujus originem cùm inquirerem, indulgente *Magnifico Patriæ Reipublicæ Syndico Jo. Jacobo Fridio, viro omnibus elogiis majore*, ex Beati Parentis Ejus *commentariis* diſcebam : *donatam ante complura ſecula gloriosæ Virgini civitatem fuiſſe : ejuſq; rei validum indicium, priſcam in precatiunculis nummisq; vetuſtiſſimis extare formulam*: URBEM VIRGO TUAM SERVA: *neq; mirandum adeo, conſecrata ejus honori militaria civitatis vexilla, cui primariam quoq; in civitate ædem, civium pietas dedicaverit. Cæterum ævo ad ſuperſtitionem proniore, perſuaſum eſſe rudi plebeculæ : Aliquando atroci prœlio, acie noſtrorum jam inclinatâ ſupplicem B. Virgini quendam de civibus, impetraſſe, ut auguſta forma ſpecieq;, filium gremio gerens, cœlitus appareret : inde omen victoriæ : mox ipſam victoriam ſubſecutam, gratæ venerationis ardorem civibus incuſſiſſe, ut Virginem victricem, ob reſtitutam ſervatamq; gravi periculo rempublicam, vexillis aliisq; publicis monumentis, eo quo videndam ſe præbuerat habitu, conſecrarent.* Cujus fabulæ vanitate dudum explosâ, longe ſinceriori ſplendore Sanctæ & inter mulieres Benedictæ Virginis honorem, longe certiori pignore Auguſta Reſpublica credit publicam civium ſuorum ſecuritatem ſalutemque ſanciri; cum in gremio Matris, DEum Filium, Deum Alumnum, Deum non Matris minus quam humani generis Servatorem, Deum cujus omnis gloria, & à quo omnis gloria, Deum ſine quo nec ſecuritas periclitantibus, nec ſalus laborantibus, nec oneratis ſolatium, nec robur pugnantibus, nec gloria victoribus eſt; Principem

aliter Limn. Addit. 1. l. 7. c. 3. n. 150

cœli, Redemptorem orbis, Triumphatorem inferni, non vexillis aut lapidibus sed cordibus animisque, & purâ civium pietate consecrat, veneratur, adorat.

CAP. IV.

De insignium & vexillorum militarium jure

in universum alibi agitur: Imperialis vexilli gerendi explicandiq; jus, potissimum jure belli continetur: An à concessione Romani Pontificis dependeat? de jure Imperatoris Romano Germanici, cum distinctione temporum causarumque: facultas explicandi vexilli Imperialis Statibus quibusdam Imperij concessa: Privilegium Caroli IV. Munus gestandi vexilli Imperialis ambulatorium: arbitrarium: rejecto errore Nicephori Gregoræ: hæreditarium: civitatium Imperialium & inter eas Argentoratensis Reipublicæ prærogativa circa hanc rem: cum iuribus annexis.

SEd de variis quidem vexillorum generibus hic professâ operâ tractandi locus non est: Sicut nec de jure concedendi usurpandique vexilla, & vexillorum insignia in universum: quo *alij* tanquam concesso ab Imperatore, vel eo cui vices suas Imperator delegavit, veluti Comite Palatino, *alij* tanquam proprio utuntur. Quemadmodum & Argentoratensis Respublica vexilli atque insignium jus non tanquam acceptum ab Imperio, sed tanquam allatum ad Imperium, sibi vindicat.

v. Hœping. de Iur. insign. c. 10. n. 134.

Imperialis vexilli, quod in hujus dissertationis argumentum primario venit, insignia plurimorum seculorum usu, sicut ex dictis patet, solenia sunt: quorum idcirco usurpandorum jus habet, cuicunque gerendi explicandive Imperialis vexilli facultas competit. Quam si quis instituat ad rationem partesque Imperij administrandi principaliores exigere, facile res ipsa docebit, in summo belli armorumque jure locum ei tribuendum.

Nam.

Nam licet interdum pacatis quoque expeditionibus cerimoniisque adhibitum imperiale vexillum conſtet: attamen etiam in his nihil aliud quam bellici apparatus ſpeciem ac ſimilitudinem expreſſit, & ex medio certe bellorum apparatu fuit depromendum: quem inſtruere atque dirigere is demum jure ſuo poteſt, à quo ſummum rei militaris auſpicium dependet.

Neque ad hoc, conceſſione Imperialis vexilli aut indultu, translationeve vel denique acquiſitione ulla ſpeciali opus habet is, penes quem in Imperio ſupremum belli gerendi arbitrium eſt, ut illa expediat, quæ bello pro Imperio gerendo ſunt neceſſaria. Quanquam alias inde ab antiquo, in more poſitum conſtet, ut in argumentum ſubjectionis publicæ, modo ſubmitterentur vexilla, modo dederentur; ſed ut nihil aliud quam ſymbolum deditionis tantum, non autem translati juris fundamentum denotarent, à quo facultas accipientis poſſet ſuſpenſa exiſtimari. Ut adeo nulla idonea ratio ſuadeat, cum de titulo quæritur, quo à Carolo M. ejusque ſucceſſoribus vexillum urbis Imperijque Romani bellicis expeditionibus adhibitum ſit, ad authoritatem Romani Pontificis confugere. Nam quod Carolo Magno vexilla Romanæ urbis Leonem Pontificem venerationis cauſa obviam miſiſſe, *Regino*; inter cætera vero munera donaſſe, *Annales Rerum à Carolo M. geſtarum* apud *Reuberum*, & *compilatio Chronologica à Piſtorio* edita referunt, illud donantis non ſuperioritatem, non jus, non eminentiam, ſed ſubmiſſionem deditionemque demonſtrat.

Valeſ. ad Amm. Marcell. lib. 26. p. 324.

A. C. 800.
A. C. 796.
A. C. 801.

Et ſupererat ſane Carolo ejusque ſucceſſoribus tum ac poſtea ſatis validus titulus, quo armorum & Imperialis vexilli uſum propria authoritate, proprioque auſpicio exercerent, quoties Imperatoris aut Imperij ſalus, tutela, dignitas id expoſcerent; donec proceſſu temporis ad arbitrium Imperatoris in bello Imperij ſuſcipiendo gerendoque, ordinum Imperij conſenſus legali requiſito adjungeretur. Quod nimis longe *Limnæus* videtur arceſſere, quando loco præjudiciorum, ex quibus praxis Imperij circa hanc rem adſtrui probarique poſſit, exempla Henrici II. Henrici V. Friderici I. aliorumque Imperatorum, ab iis temporibus repetit, quibus nihil quicquam adhuc de ſuprema Cæ-

Ad Capitul. Car. V. art. 11 verb. der Reichsſtände.

sarum potestate tum quoad alia, tum quoad belli armorumque jus, fundamentales Imperij leges delibaverant. Nam *Hippolithum à Lapide* minus mireris, ex facto parum dextre accepto intellectoque colligentem, *jam tum Friderici I. tempore dissentientibus Proceribus, Imperatorem neminibellum indicere potuisse.* Certius principium communicati vere cum Statibus juris bellici ad id tempus refertur, quo *Recessibus Imperij* primum, deinde *Capitulationibus Imperatoris* modus hujus rei est definitus. Initium videtur sub Maximiliano I. factum In der Handhabung deß Friedens zu Wormbs auffgericht Anno 1495. ubi Imperator ipse bellum Imperij nomine suscipiendum à decreto Comitiali hac formula suspendit: Auch sollen Wir und unser lieber Sohn Ertz Hertzog Philips auch unser Chur-Fürsten/ Fürsten und Stände deß Reichs / ohn wissen und willen jährlicher Versamblung keinen Krieg oder Vähd anfangen. Accessit mox declaratio & restrictio Capitulationum Imperatoriarum in quibus à prima ad ultimam, promittunt Imperatores: Wir sollen und wollen kein Gezänck / Fehde / noch Krieg in oder ausserhalb deß Reichs von desselben wegen anfahen / oder unternehmen / noch einig frembd Kriegsvolck ins Reich führen / ohne vorwissen Rath und bewilligung der Reichsständ / zum wenigsten der sechs Chur-Fürsten: Wo wir aber von deß Reichs wegen / oder das H. Reich angegriffen und bekrieget würden / alsdenn mögen wir uns dagegen aller Hülff gebrauchen. Tandemque *Monasteriensis* etiam & *Osnabrugensis Pacis instrumento* sancitum denuo est: *ne bellum Imperij nisi de comitiali liberoq; omnium Imperij statuum suffragio & consensu decernetur*: Sed & circa administrationem belli multa *Recessibus Comitialibus* statuta sunt, *de milite conscribendo, de ordinandis dispensandisq; militaribus officiis, de legibus & articulis militaribus sanciendis*, deque similibus aliis, quæ de absoluta Cæsaris in bello gerendo potestate non patiuntur secundum veterem formulam pronuntiari: Sicut index talium, à *Limnæo* diligenter concinnatus fidem facit. Vexillum Imperiale quod attinet, de eo in *Comitiis Spirensibus Anni* 1542. dispositum est: Daß in abwesen der Kayserlichen Mayestät oder deß Römischen Königs / deß Reichs Fahn nicht fliegen / sondern an seiner statt ein ander Fahn durch den obersten

de Rat. Stat. p. 1, c. 9, s. 1. n. 9.

Cap. Car. V. art. 11. &c.

Instr. Cæs. Suec. art. 8. §. Gaudeant

ad Cap. Car. V. d. loc. n. 25. & seqq.

Feld-

Feld-Hauptmann auffgericht und gebraucht werden soll. Quod etiamsi *honori Imperatoris datum* recte *Limnæus* pronuntiet : non minus valida tamen ratione possis ad Statuum commoda referre: quibus per hanc Constitutionem leniebantur onera instructioris apparatus, graviorumque muniorum militiæ, ad quæ antea, explicato etiam absentis Imperatoris auspiciis, Imperiali vexillo, frequentius subeunda fuerant adstricti. Ut adeo non eatenus tantum, quatenus extra bella causasque Imperij publicas wo des Reichs Sachen im Feld gehandelt wird / usus vexilli Imperialis communibus sanctionibus & consuetudine Imperij impeditur; sed eatenus quoque, quatenus expeditione Imperij nomine legitime suscepta, Imperatorem præsentem esse oportet, ut Imperiale vexillum explicetur, limitatum esse certisque legibus circumscriptum, quod circa vexillum Imperiale Cæsar hodie jus habet, nemo possit diffiteri. Neque tamen exinde communicatum cum Ordinibus existimari jus illud debet, quod in hunc diem Imperatori, independenter, & tanquam proprium competit. de I. P. II. 7. 42.

Est enim communicatio jurium Summi Imperij, strictæ interpretationis; neque uno jure communicato, statim ea quoq; quæ sub illo continētur censeri communicata debent: Sicut privilegiorum concedendorum jus nihilominus Cæsar sibi tanquam proprium vindicat, etiamsi in Legislatoriæ potestatis consortium adsciti sint Status Imperij. Et licet aliquando quibusdam è numero Statuum erigendi explicandique Imperialis vexilli, facultatem dedisse Imperatores constet : Non tamen illa juris communicatio, sed usus potius concessio fuit, potestatem ab Imperatoriâ dependentem, vel per modum *privilegij*, vel sub titulo *officij* munerisque delegati complexa.

Privilegij insigne specimen est, quod Eberhardo Comiti Würtembergico & Reipublicæ Argentoratensi Carolus IV. Imperator Anno Imperij sui XVII. post C. N. 1363. indulsit, his verbis:

Wir Karl von Gotts Gnoden Römischir Keiser zu allen Ziten merer deß Richs und Kunig zu Behem. Embieten dem Edlen Eberharten Graven zu Wirtemberg Lant-Fogt in Nydern

Schwaben/dem Burgermeister/dem Raten / und den Burgern gemeinlich der Statt zu Strazeburk unsern und deß Richs lieben getruwen/unser Gnad und alles gut. Lieben getruwen / unser meynung und Wille ist/wer das Sache daß jr uf das Felt ziehen würdet gen Roubern odir bosen Lüten / und mit Namen gen Hertzog Ruprechten von Ryn/der unser offenbarer Vynd ist/das jr denn unsere und deß Richs Banyr von unsern und deß Richs wegen ufwerffen moget; und dorunder ziehen/und ouch die so bewaren/ altz wir das uwern truwen sunderlich glouben und getrowen / geben zu Prag an Sand Johans Abend deß heiligen Teufers/unserer Riche in dem fünfendzwentzigsten/ und deß Keysertums in dem Sybentzenden Johr.

Munus gerendi Imperialis vexilli sub Francicis Imperatoribus inter nobiles Regni *ambulatorium* fuisse, tum communis Regum Francicorum & ad sequentia tempora etiam propagatus mos, tum inprimis exemplum ex aula Caroli Crassi repetitum argumento est: sub quo contigit, quod de *quodam Caroli elati animi Capellano* graves irrisi Notkeri pœnas pendente *Ekkehardus Junior* memorat *in Casibus Monasterij S. Galli. c.* 3. ubi memorabilis tragœdiæ catastrophe ita clauditur: *Abibat temptator ille & irrisor à suis irrisus, parvi pendens quid sibi futurum Notkerus dixisset. Sonatur continuo ad concursum & laudes Cæsaris abituri. Arripit ille infelix futurus labarum eo die ordinis sui dominum antecedendi: & equo superbus invectus ante portam civitatis offendens cecidit & misere in facie collisus crus confregit.*

Inde sub Germanicis Imperatoribus factum *arbitrarium*, & prout Imperatori videretur è dignitate cujusque expeditionis esse, uni subinde ex Proceribus delatum, multa & eximia specimina demonstrant. Sic in expeditione Italica, *Fridericum I. Ottone Wittelspachio Comite Palatino, pro vexillifero usum ex Ottonis Frisingensis de Gest. Frid. 1. lib. 2. cap. 16. & 25.* & *Guntheri Ligurino passim* constat: *In exercitu* vero *Rudolphi I. Ottocarum Boemum aggressuri, Henricum Hachbergicum Marchionem, Imperij Aquilam tulisse, Gerardus de Roo* Autor est: *Reinhardum vero Comitem Hanoicum Adolphi Nassovij vexilliferum hoc fato fuisse, ut pristina gentis insignia amitteret* ex *Chronicis Alsaticis* discimus. & *Fridericum Austriacum cum Ludovico Bavaro prælium*

Hist. Austr. lib I. A. 1278 Herzog. Chr Alsat. lib. 5. p. 62.

prælium commissurum, vexillum conflictus commisisse Comiti de Schlüsselberg, Alberti Argentinensis indicio discimus. A.C. 1323.

Unde haud difficulter judicium ferri potest de communi traditione, quam ex *Nicephoro Gregora* certatim viri docti, & inprimis interpretes Juris Feudalis describunt: *Marchionum, ævo medio munus fuisse, ut Imperiale vexillum Cæsari præferrent.* Verba *Nicephori è septimo Historiarum*, ista sunt: ἡ τῦ Μαρκεσίυ τάξις ὑ τῶν ἐπισήμων ἐςὶ παρὰ λατίνοις· ἀλλ' ὅπερ ἐν τοῖς Ῥωμαίων ςρατεύμασιν ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων συμαίαν τῦτο παρὰ λατίνοις Μαρκέσιῦ. *Non sunt apud Latinos in magna dignatione Marchiones constituti: Sed eum gradum tenent, quem apud Romanos is qui vexillum Imperatorium gestat.* Cujac. de Feudis lib. 1. Tit. 1. p. 166. ed. Genev.

Errorem his non levem subesse *Gretserus* jam vidit: qui tamen ad eum confutandum rationes attulit admodum infirmas; dum *neq; cum dignitate, neq; cum nomine, neq; cum potentia Marchionum hoc munus potuisse consistere* contra manifestam exemplorum fidem authoritatemque concludit. ad Codin. lib. 3. c. 1. n. 21. p 226.

Validiora sunt, & ex quibus apertæ sive malignitatis, sive ignorantiæ, *Nicephorus* queat convinci: quod Jolantem, sive Irenen ut ipse nominat, Andronici II. Palæologi uxorem, ex stirpe parum illustri oriundam contendit; quæ ab Aleramo Saxone & Atesia Ottonis II. Imperatoris filia, genus ducebat: quod institutâ inter officia Imperii Romano Germanici, & ministeria Aulæ Constantinopolitanæ comparatione, exiguam dignitatem fuisse pronuntiat, in exercitu Imperatoris Germanici gerere Imperiale vexillum; qua neminem constat nisi genere meritisque inter primos illustrem his temporibus consuevisse insigniri: quod Patri Jolantes Bonifacio III. Marchionatum Montisferratensem obtigisse scribit perpetuo munere annexo, εἴ τις ἐκ τῦ ἔθνυς ἀνίσαιτο βασιλεὺς, τῷ τῦ σημαιοφόρυ τάξιν ἀποκληρῶν πρὸς ἐκεῖνον. *Si quis ex ea gente Imperator crearetur, ut vexilliferi apud eum officio defungeretur*: quod in omnium ejus ævi annalium memoris penitus inauditum. Illud equidem constat Montisferatensem Marchionatum non hodie tantum, quod celeberrimus rerum Germanicarum instaurator *Conringius* pridem demõstravit, sed olim quoque regalibus Imperij feudis annumeratum fuisse: neque insolitum est, eos qui solenni ritu atque adeo per Imperia- de fin. Imp. c. 23.

le

le vexillum de Ducatu vel Marchionatu inveſtiti ſunt, *vexilliferos Imperij*, ipſosque etiam Ducatus exinde *vexilliferatus Imperij* nominari. Sicut in *Diplomate Ludovici Bavari*, quo Caſtrucium in Lucæ Ducem evexit, *Dux & Imperatoris Sacriq; Romani Imperij vexillifer, Ducatus & vexilliferatus* aliquoties conjuncta & promiſcue poſita leguntur: Sed alio penitus ſenſu, quam quo vexilliferi Imperij dicuntur, quibus Imperialis vexilli in expeditionibus ac bellis Imperij gerendi munus commiſſum eſt. Neque tamen abnuerim *Nicephoro*, ut ſeduceretur, occaſionem hinc eſſe ſubnatam.

ap. Freher. Append. ad tom. I, ſcript Germ. p. 31.

Eximio ſane illo, eminentique ſignificatu, ſolus ſibi vexilliferi Imperialis nomen & jus hæreditarium Sereniſſimus Dux Würtenbergicus vindicat: In cujus inſignibus idcirco vexillum Imperii depictum extat. Qua origine in gentem inclytam hic honor derivatus manaverit, nondum certo comperi: niſi quod Eberhardum Würtembergicum, cum in Comitiis Wormatienſibus Anni 1495. à Sereniſſimo Saxoniæ Electore controverſia Illi de ea re mota fuiſſet, ad Ludovici III. Imp. privilegium provocaſſe *Limnæus* tradit: Prærogativam veterem indiſtincte *Lazius* nominat: *Ubi Sacri Imperij copiæ in aciem educuntur præſente Imperatore, tum & labarus aureus volitat, nigra Aquila adornatus, cujus ferendi facultatem ex veteri prærogativa Duces Würtenbergenſes habent.* Neque cæteri Scriptores rem ſpecialiter deſignant. Nam quod *Cruſius* in *Annalibus Suevicis* Ulricum Adamatum A. C. 1477. *vexillum Imperiale conſecutum* ſcribit; illud malim ad translationem vexilli in inſignia Würtembergenſia, quam ad Jus vexilli Imperialis in expeditionibus gerendi referre.

Addit. tom. 1. lib. 1. c. 14. n. 33.

de Republ. Rom. VII, 5.

p. 3. lib. 6. c. 12.

Sereniſſimum Saxoniæ Electorem quod attinet, majus Illi ſive pedeſtre Imperij vexillum, ut Mareſchallo Imperij in acie concredi, ex narratione *Gallici Scriptoris* refert *Limnæus*, cujus tamen ipſe mox fidem in dubium vocat. Hæſitavique & ego in ea re non leviter: cum præſertim ex *Privilegiis Illuſtris Reipublicæ Argentoratenſis* meminiſſem, Civitatibus Imperialibus Vexillum Imperiale, majus haud dubie ſive pedeſtre, in expeditionibus Imperij inde ab antiquo concedi ſolitum, idque cum inſigni prærogativa Reipublicæ Argentoratenſis, cui primus in ferendo

Add. tom. 1. ad lib. I. c. 14 n. 33.

Add. tom. I. ad lib. 3. c. 10. n. 27.

Impe-

Imperiali vexillo honor tribuebatur. Excerpta ex illis Privilegiis ipse etiam *Limnæus* exhibet: Als auch in deß Heil. Reichs Heerzügen deß Reichs-Paner von deß Reichs Haupemann den freyen Stätten zuführen befohlen wird / und nicht dem Adel / hat die Statt Straßburg je und je dasselb zum ersten zu führen empfangen / darnach die andern Frey-Stätt / die einen Tag umb den anderen das geführet / biß es wider an die von Straßburg kommen ist. Sed rem undique intricatam, neque ex editis monumentis fortasse ad liquidum deducendam, planam prorsus atque expeditam efficiunt *literæ* hactenus *ineditæ*, quas ex Archivo Argentoratensi, *gratioso Amplissimorum Dominorum Præfectorum indultu*, mecum communicatas, quanquam aliqua contineant non tam prope huc pertinentia, integras tamen publicandas hic censui, ut de fide illarum atque authoritate plenius constaret.

de I P. VM. 3, 13. Adde Knipschild. de Iur. & Privil. Civit. lib. 3. c. 51. n. 62.

Copia literarum Philippi à Müllenheim, in exercitu Friderici III. Carolo Burgundo Novesium obsidenti, opposito, copiarum Argentoratensium præfecti, ad Senatum Argentoratensem: de Anno 1475.

Strengen Fürsichtigen Ersamen und Wisen lieben Herren / uch sy unser schuldig willig Dienst allzit voran bereit / lieben Herren / Wir tunt uch zu wissen / daß die Käyserl. M. uff den bestimpten Tag / so uwer Wißheit vor in geschrifft ingesant ußgezogen ist / und sich uff ein groß Mile weges vor Nuss by Sunt gelegert hat / uff Donnerstag vor dem heiligen Pfingstage / doselbser noch lit / wend oder welche Zit er aber neher hin by rucken will / ist uns eigentlich nit zu wissen / es sind uff disen Tag vast vil guter und woler zugter Lut by einander / und ist man tegelich viel zuges warten. Der Herzog von Burg: stat noch zur zit stille / es gat aber gemein Rede er sy gerust / und welle dem Keyser zuziehen / der Legat ritet vast darzwischen / und sucht allerley / obe er die dinge gütlich hinlegen möge / uff den obgent Donrstag rite der Legat von dem Burgundischen Here / gab im der Herzog zwen Knecht zu in zu geleiten / denselben auch der Legat Geleit zusagt biß gen

Sunꝛ und wider an jr gewarsame / in dem koment etlich unsers Herren Graff Eberhartz von Württemberg Diener / als die uff der Wart warent besunder nach dem man fürter zohe dieselben an/nomente jnen Gelt auch ytlich Silber/in der gestalt / daß der Legat für sich selbs nit macht hette sie zu geleiten / wie aber daß nidergeleit ist uns nit zu wissen / und uff den Tag als alle Fürsten und huffen zu Roß und zu Fuß ins Velt zusamen kamen / Hohe und nyder/ Ist dem Hertzogen von Sachsen das groß Paner geben worden/ und jm blieben / und sunst allen Cur-Fürsten und Fürsten keins / nachdem ist der Regent unser Gnädige Herr der Marggrave von Brandenburg mit grossen geschelden Worten an mich Philipps von Mülnheim Ritter ꝛc. kommen / und ein Ritter von Nürnberg, genant Herr Sigmund von Meglofflstein/ uff ein sit/und mich uff die ander genommen / und by jm gehabt den Hertzogen von Sachsen/und geret lieben Ritter/die Keyserl. M. will uff diesen hütigen Tag tun den Erbern Stetten/ daß nie geschehen ist/und jne ein deß heiligen Richs Panir geben / und das zugeordnet dem genanten Herrn Sigmundt/an statt der von Nürnberg/der soll das von aller Stette wegen haben/ so habe auch die K. M. verschafft dz dowider nymans reden noch tun sulle/ do by jr mercken die Meynunge so gewesen ist/ daruff ich als ein Hauptmann antwort / was die K. M. mit uns schaffe wellent wir zu thun alzit gehorsam sin/ und uff stund unbedocht / desmols geredt dem nach zu kommen sy ich ganꝛ nit geneygt / und sy daß die Ursach darumb es unbillich und unzymlich were zuverfolgen/ mir zwiefell nit der Statt Straßburg loblich underthenig Dienst dem heiligen Rich/auch K. und Küngen gethon löblicher Gedechtnuß unvergessen sy/auch in diser sach lange Zit mit Lib und Gut erlich und nutzlich zu widerstant/und abbruch dem Hertzogen von Burgunde/sich lossen bruchen und sich abbruchlich erscheint/die ander ursach darum es aber unbillich were/ so ziehe ein Statt von Straßburg vor allen Stetten / sy sitze obe jn und tuge auch alle Rede vor jn/deß mer so habe Sy aldo viel guter fromer Ritter und Edeln / auch jr Ersamen Burgere/die do nit ziehen umb solt / sunder als uß Gehorsamkeit und umb eren willen me dann kein Statt/ so uff den Tag im Velde sy/harumb und dann ere und Zucht den Stet-

ten //

ten/mit eim deß heiligen Richs Paner beschehen solle / vor allen andern Fürsten/sunder dem Hertzogen von Sachsen/hoff ich daß der Statt Straßburg als billich beschehe als keiner Statt/beschehe das/sehe ich wol/beschehe aber das nit/so hiesth norduffft furter darzu zu reden / und sich des mit dienst zu halten / das man sehen solt/das ich mynen Herren von Straßburg kein veracht nachgeben oder zuverschaffen wolt/wel ich bekant daß die K.M. alle myn Herren und Fründe von Straßburg zu regieren hette / und auch mich/wir jne nit/aber glich Regierunge und empfehle / brecht guten willen/denn solt daß syn fürgang haben / konten wir von Straßburg Gnade oder guten willen nit vermercken / doch so bete ich gnade min antwort gnediglich uffzunemen / ich auch hoffe mir gebürlich sin/darufunser gnediger Herre der Marggrave redte ich solte mit jm riten zum K. und die Wort auch reden / sprach ich gern / und rit von stunden an mit jm zum K. und nach redte noch grüntlicher mit ermanunge aller guten gedat lange harkomen geton ꝛc. redte der K. so/werlach wir müssen in die Sach sehen/und bevahl dem Marggraven die dinge zu gutem zu bringen/ demnach sint Hanß von Kageneck / Adam Zorn und Ich mit rat der andern zu dem vernelten usserm Herrn dem Marggraven geritten und jm die Sach aber treffenlich fürgeleit/dar in zusehen daß die Statt Straßburg uff den Tag nit verachtet werde / beduncke uns gut und nicht schade sin / Uff das ist betracht und angesehen worden / daß die Statt Straßburg / auch Cölne / Augspurg/Nürmberg/Franckfort und Ulme/das Paner ein Tag umb den andern haben sullen/das ist von den ytzgemelten Stetten allen fründlich verfolgt und zugelassen worden / und nach der Zusage hat unser Herr der Marggrave uns alle sechs Stette tun zusamen neben einander halten/und das Paner im Velde vor allen Fürsten in der Hende gehabt / und geredt / wem sol ich das nu geben/do ist der von Colne Hauptmann/der von Arburg hinfür gewischt/und dem Marggraven das Venlin uß der Hand genommen/hab ich kurtz gerede/der von Colne geben unserm Herrn dem Marggraven das Paner wider/wann ich laß uch daß nit zu/ dañ er hat uch das nit geben / daß auch unser Herr der Marggrav geständig was / uff daß nam unser Herr der Marggrav dem von

Colne das Paner wider/und gab mir Philipps von Müllenheim daß zu mynen handen/daruff ich vor allen Fürsten/Herren und Stetten redte/daß die Statt Straßburg es billich den ersten Tag so es ußgeben würdte haben solt/habe auch daß also mit erlichen und nothurfftigen Worten Mannlich uch zu eren behalten/darumb uns dann Ere und Lob gesagt ist/&c. Uff den Pfingst Abend ist der Hertzog von Burgunde selb im Velde gewesen/mit eim grossen Huff/und mit unsern Warelüden ein Scharmützel angefangen/und uff unserm teil ein Edelmann nidergeworffen/stehe unserm obgenten Herrn dem Marggraven zu. Was sich fürter machen will oder würt/wollent wir uwer Ersamen Wißheit auch verkünden/und bedencken im besten daß wir uch nit mer schrieben/den uch vergeben so wit botschafft zu tun/beduncke uns nit not sin/was aber zu nutz oder zu schaden dint/wellent wir uwer Wißheit Jlent zuschrieben und nit verhalten/Wir sint von den Gnaden deß Allmächtigen all noch frisch und gesund/deßglichen begehren wir auch allzit als von unsern Herren zu vernemm. Datum im Keyserlichen Here uff den Pfingstmontag Anno etc. lxxv.

Der uwern Hauptlite im Keyserlichen Here.

Atque hæc quidem sicut prolixioris disputationis laborem nobis lucrifaciunt, ita copiosiori explicatione diffundi non debent, nisi quod ad ea roboranda, ex similibus monumentis quædam adduxisse haud intempestivum fortasse vel incongruum fuerit. In *literis* ex iisdem castris eodemque anno ad Senatum missis scribunt expeditionis Præfecti: Der Keyser hat Hertzog Albrechten von Sachsen deß Heiligen Richs Baner geben/der mag siben Fürsten an sin Rat beruffen/die jm zum nutzlichsten raten und helffen sollen: & in *mandatis castrensibus, sine die*, quæ in Archivo extant, quæque ad eandem expeditionem pertinere, scripturæ forma indicio est, *articulus primus* hoc tenore concipitur: Jtem daß gebeut unser gnedigster Herr Keiser/sin gewaltiger Marschalck/Bannermeister und Hauptleuth/daß morgen niemands füttern soll/sunder uff das Renn Panner mit den zweyen Schwerten leytten und harren/by straffung deß Keysers. Inprimis vero locum inter cæteras civitates Imperiales principem

Argento-

Argentorato præter gravem cordatamque *Müllenhemÿ orationem* asserunt *mandata Imperatoria* alia, quibus civitates Imperiales hoc ordine castra ingredi & in iis locari jubentur:

All Richstatt sollen nach einander in die Wagenburg und sunst geordnet werden wie hernach stehet:

Item Straßburg.
Item Cölen.
Item Augspurg.
Item Nürenberg.
Item Ulm.

Item so sullen die andern Stette volgen nach der Ordnung als sie sich angeben.

Quo accedunt jura, privilegia, prærogativæ militares atque castrenses aliæ, quibus Argentoratensis vexilli dignitas eo evecta est, ut non reliquas tantum Imperiales Civitates sed plerosque Statuum, eo nomine inclyta Respublica antecellat: quales inprimis sunt: I. *quod jure optimo atq; pervetusto in omnibus Imperÿ expeditionibus, Romanis aliisq;, Argentoratense vexillum explicatum Imperiali vexillo proximum geritur: quemadmodum illud in expeditione quoq; Rudolphi I. Cæs. contra Ottocarum Regem Bohemiæ, cum educeretur exercitus Imperatorius, primum, cum reduceretur ultimum fuit.* II. *quod explicata Imperiali Aquila quoties & quoad usq; ullum ex Statuum vexillis imo ipsum etiam S. Georgÿ vexillum explicatum volitat, Argentoratensibus quoq; facultas competit explicandi vexilli sui. Unde, cum Fridericus III. Imperator Urbem Romam accipiendæ coronæ causa ingressurus, in honorem populi Romani præcepisset, ne præter Imperÿ Aquilam ullum aliud signum explicaretur, & eam rem multi ægre ferrent; inprimis vero Georgiani collegÿ signifer Henricus Comes Fürstenbergicus indignum esse diceret, & præter collegÿ institutum, malle se ab ipsis urbis mœnibus domum reverti, quam occultato vexillo intromitti; Argentoratenses quoq; graviter jura sua & receptum ab antiquo morem testati, non prohibitos fuisse majores suos explicare vexillum suum jaciebant, quo tempore cum Rudolpho in Boëmos militassent. Quas eorum voces tum quidem Cæsar autoritate sua facile compescuit; Georgiani præsertim collegÿ signifero vexillum suum submittente: cum autem Româ mox Cæsar moveret, explicavere rursus vexillum nostri erectumq; per Italiam ac Lombardiam domum retulere*

Excerpt. Privil. ap. Limn de I. P. VII. 3. 13.

Gerard. de Roo Histor. Austr. Lib. V p. 201.

III. quod Circularibus copiis adjuncti, ut vexillum ſuum ſubmittant adigi nullo jure Argentinenſes Præfecti poſſunt. IV. quod nequeunt in ſupplementa copiæ illorum diſtribui. Quæ cum longæva conſuetudine uſuque in publicum ac ſolennem morem, (das Herkommen deß offenen Panters) adoleviſſent, ne prærogativæ tam inſignis dignitas tractu temporis vaneſceret, ſollicite admodum ſtudioſeq; majores noſtri proſpexere; perſcriptis ſubinde ad præfectos copiarum ſuarum accuratis de ea re mandatis: quæ, in expeditione denique A.C. 1532. contra Turcas inſtituta, cum ad eam reſpublica noſtra equites LXXX. pedites CCCL. ſubſidio mitteret, in ſolennem hanc atque perpetuam formulam ſunt collata:

v. diſcurſ. B. Dn. Fridii, MSC. de Privileg Reip. Argent. pag. 46. & ſeqq.

Uud dann ein Statt Straßburg jewelts in allen deß H. Reichs-zügen und Heerfahrten herbracht/ Ihr offen Panier by und neben deß Reichs Adler zu führen/ und ſo deß Reichs Paner den freyen Stätten/ und nit dem Adel zu führen befohlen ſoll werden / ein Statt Straßburg daſſelbe je und je zum erſten zu führen empfangen hat/ und demnach je ein Statt umb die ander das geführt/ biß daß es wider an ein Statt Straßburg kommen/ ſo ſollen der Obriſt Herr Bernhart Wormbſer Ritter / deßgleichen Schweikhart von Sikingen der Under Hauptmann/ ſo ſie under deß Reiniſchen Zirks Kriegs-Volck kommen / einer Statt Straßburg Fendlein führen/ daſſelbig auch nie zu oder under thun laſſen / in keinen weg.

So ſie aber in das Veld zu deß Heil. Reichs Kriegs-Volck kommen/ ſo lang einiger Stand und inſonders die von St. Georgen Schild jhr Vendlin offen behalten / ſo ſollen Herr Bernhart und Schweikhart einer Statt Straßburg Fendlein auch nit zuthun: wurden aber gemeine Stände deß Reichs / darzu die von St. Georgen Schild jhr Vendlein alle zu oder under thun / und es an ſie Herr Bernhart und Schweikhart erfordert würde/ ſo mögen ſie einer Statt Straßburg Vendlein auch underthun und zuſchlagen. Und ſo alſo alle deß Reichs Stände auch St. Georgen Fendlein undergethan / und allein deß Heiligen Reichs Fendlein im Velde wider den Feind fliegen und offen bleiben auch den Stätten und mit dem Adel zuführen befohlen werden wolte/ ſo dann ein Statt Straßburg jewelts in deß Heil. Reichs Veldtläger und Heerzügen den erſten Tag geführt / und dann

je

je ein Statt umb die ander biß es ein Statt Straßburg wider erlangt / so sollen sie / Herr Bernhart und Schweikhart inen den ersten Tag abermals zubefehlen erfordern. Wie es dann ein Statt Straßburg von alters löblich herbracht / und dasselb so viel müglich ist / nit nachzugeben. So sie auch mit einer Statt Straßburg Kriegs-Volck zu Roß und Fuß zu deß Reinischen Kreiß Kriegs-Volck kommen werden / und deß Reinischen Kreiß Hauptmann understehen würde einer Statt Straßburg Fueß-Volck under ander Hauptleut stossen und einer Statt Straßburg Fuß-Knecht Hauptmann abschaffen wolte / daß sollen sie nit zugeben noch gestatten / und fürsehen daß dieselben einer Statt Straßburg Fueß-Volck Hauptmann und das Fueß-Volck under demselben gelassen werden. Demnach auch in andern deß Heil. Reichs Heerzügen und im Veld jewelts einer Statt Straßburg Fahnen neben deß Reichs Adler vor allen Stätten geflogen und getragen worden / auch im Veldläger jhr Volck dermassen losirt und gelegen / und sonderlich im jüngsten Zug von Regenspurg wider die Böhmen ; So sollen Herr Bernhart und Schweikhart / daß es jetzo in diesem Veldzug und sonderlich in dem Reinischen Kreiß wiederumb dermassen beschehe und gehalten werde anhalten / dasselbig auch mit keinem ding nachgeben noch underlassen : cuius mandati auctoritas Anno subsequenti 33. d. 16. Januar. poenâ signiferi peditum, ob servata parum religiose mandata exauctorati sancita est. Descriptio ejus facti in *Excerptis privilegiorum MSCC. sub tit.* Freyheit der Tribut und Reichs Schilling hæc extat: unter dem Fueß-Volck bey diesem Zug seind Engelhardt von Speichingen Hauptmañ und Caspar von Lohr Fendrich gewesen / und wiewohl demselben Caspar dem Fendrich (wie Er dann bey der Statt Straßburg Fendlein zubleiben geschworen) sonders befohlen solch Fendlein nit lassen under zuthun / hatt Er doch solch Fendlein zu Wien im Lager von der Stangen gethan und ein anders Herr Philipsen von Dhun / Herrn zu Oberstein / und Falckenstein / deß Reinischen Kreiß-Obersten Hauptmanns farb habend an die Stang gethan / fliegen lassen und getragen. Darumb Er alsbald Er wider gen Straßburg kommen durch die Herren XIII. zu red gestelt / und als Er von meinen Herrn ein Zeitlang

mit

mit jährlichem Dienstgelt begabt gewesen / wardt Er deßhalb geurlaubt und jhm sein Dienstgelt abgekündet.

CAP. V.

Custodes Imperialis vexilli: Præpositi Laborum: Duces expeditionum à munere custodiendi vexilli dicti Vexilliferi: Die Bander Herren: *Suevorum præcedentia in exercitu Imperiali.*

Mauric Strateg. II, 14. vid. Lipſ. de Mil. Rom. IV, 3. Schel. in Hygin. p. 36. deMil, Rom IV, 6. Lib. 3. Ligurin, lib. 7.

DE custodiendis muniendisque diligenter & accurate signis militaribus, prudentiæ atque disciplinæ bellicæ ex omni ævo regula, propriique rei militaris Scriptores præcipiunt: quos hic non exscribimus: uti nec illa quæ de antesigano & subsignano milite sunt à viris doctis disputata. Apud *Livium* frequenter videas nominari *robur militum circa signa*: pro quo *Plinius Hist. Nat. XIII, 4. horrida custodiis signa* usurpavit: quod tamen *de carcere apud signa* potius quam de præsidio signorum *Lipsius* mavult intelligi. Apud *Wittichindum*, quod huc propius spectat, *Angelus Ottonis M.* memoratur *denso agmine circumseptus*: & in expeditione Mediolanensi Fridericus I, referente *Gunthero*:

— qua Cæsareæ signum Latiale cohortis
Regia fulget avis, magnorum densa virorum
Agmina ceu magni glomeravit viscera regni.

Eusеb. de Vit. Const. II, 8.

Ex instituto Constantini M. hæc tuendi primarij vexilli cura commissa est τῶν ἀμφ' ἑαυτὸν ὑπασπιστῶν τοῖς καὶ σώματος ἰσχυῖ καὶ ψυχῆς ἀρετῇ καὶ θεοσεβείας τρόποις ἐγκείτοις. ἦσαν δ' ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡς ἥπλεις πεντήκοντα. *Lectis ex Protectorum numero*, uti *Henr. Valesius* hunc locum vertit, *quotquot corporis viribus & animi fortitudine ac veræ rleigionis institutis præstare videbantur. Erant omnes quinquaginta viri:* Illi nimirum *qui* cum *ex devotissimis domesticorum Scholis præpositi Laborum* (forte *Labora* legendum; *nam unicum eo tempore Labarum erat*) *essent promoti, ad similitudinem decem primorum domesticorum Clarissimi erant inter allectos: atque*

que ita ut ex Consularibus habebantur, id est, *interprete Jacobo Gutherio, quasi Provinciarum Consulares fuissent*: quosque Imperatorij *lateris comitatus inlustrabat* Secundum *Constitutionem Impp. Honorij & Theodosij*: quæ producto *Eusebij* loco satis abundeque lucis mutuatur, & ab eo vicissim recipit. de Off. dom. Aug. I, 15. L. un. C. de Præpos. Lab Add. C Th. lib. 6, t 25.

Propiorum temporum consuetudine Ducibus cujusque expeditionis & Præfectis curam vexilli custodiendi seorsum atque eximie commendari obtinuit; quibus exinde haud raro *vexilliferorum* nomen tributum observare licet. Sicut Albertum Habspurgicum Rudolphi I. Imp. Patrem, ipsumque etiam Rudolphum, *vexilliferos urbis Argentoratensis, paralipomenon ad Abbatis Urspergensis chronicon Scriptor* vocat: quos præfectos militares civitatis Argentoratensis fuisse ex *Gerardo de Roo* discimus. *Chronicon MSC.* vetus, eos conjunctis elogiis nominat Leyter und Venre der Stette zu Stroßburg: Diser Kunig Rudolff was grose Albrechts Sun von Habesburg der do was ein Land-Grose des Oberen Elsaßes unn ein Leyter / unn ein Venre der Stette zu Stroßburg unn behoup ouch die Statt zu Stroßburg mit siner helfe manigen gesig by den Ziten / do Herr Heinrich von Veringen unn Herr Bechtolt von Tecke Byschöffe warent zu Stroßburg. Unn do Kunig Rudolfes Vatter gestarp / do tratt Kunig Rudolff an sines Vatters stett / unn ward ouch Venre der Stette zu Stroßburg. A. C. 1273. Hist. Austr. lib. 1, p. 7. & 9

Ad ipsam vero custodiam atque præsidium Imperialis vexilli, ne tum quidem, nisi honoratissimis aditus erat; quos ex munere tuendi gerendique alternatim, exemplo Præpositorum quos Constantinus M. constituit, vexilli Imperialis nomen tulisse, ut vocarentur die Bander-Herren omnino probabilis *Caspari à Lerch* sententia est in dem Reichs Ritterlichen Adels Herkommen und Freyheits bericht: *Fundam. 1. num. 47.* aliis nomen illud in sensum usumque diversum trahentibus. vid. *Hœping de Iur. insign. c. 17. n. 313.*

Et universa insuper Imperialis aciei ordinatio ita instruebatur, ut in primis ordinibus tanquam προμάχοι τῶν σημείων *propugnatores signorum* collocarentur qui bellicæ virtutis factorumque gloriâ præ cæteris nomen meruissent. quem honorem ex

pecuha-

A. C. 1075. peculiari privilegio *Lambertus Schaffnaburgenſis* Suevis vindicat: *quibus ab antiquis jam diebus lege latum eſſe*, ait, *ut in omni expeditione Regis Teutonici ipſi exercitum præcedere & primi committere debeant.* Quo nomine cum Albertus Auſtriæ Dux, in Thuricenſes movens, Epiſcopo Conſtantienſi, Suevorum in illa expeditione præfecto, controverſiam moviſſet, nec induci ſe pateretur ut priorem Suevis locum relinqueret; *Epiſcopus cum ſuis receſſit: nolens minuere jus Suevorum. De quo Dux (Alberti Argentinenſis judicio) nimium eſt commodus: Gens namq; Suevorum à tempore Caroli & aliorum Principum, quod in expeditionibus primum conflictum habere debeant, viribus & virtutibus meruerant.* Neque tamen deſunt exempla, quibus non tam ridige ſemper urſiſſe jus ſuum Suevos conſtat. Nam & in exercitu Ottonis M. ſextam & ſeptimam legionem Suevos conſtituiſſe *Witichindus lib. 3. Abbas Urſpergenſis in Chronico* aſſerunt: & in expeditione Joannis Lucemburgici contra Henricum Boëmiæ regem, Francos, Saxones, Thuringos, Suevos de primo loco ſorte conſueviſſe decernere *Mutius* autor eſt.

Chron. A. 1354.

p. 161.

Lib. XXIII. circ. med.

CAP. VI.

Uſus Imperialis vexilli communes perſtringuntur: in bello promulgando: in prælio indicendo: in acie ordinanda: in deditione facienda: in inaugurationibus Cæſarum: in judiciis exercendis: in feudis regalibus conferendis: Uſus proprius vexilli Imperialis, obligatione & jure Ordinum Imperij declaratus.

POteramus locum præcedentem latius diducere, & fortaſſe non erat inconveniens, poſtquam de cuſtodibus Imperialis vexilli actum eſt, legum ac pœnarum enumerationem inſtituere quæ in *deſertores ſignorum* olim hodieque ſunt ſancitæ. Sed cum illud crimen, ſi quis accurate rem æſtimet, non tam vexilli quam ſacramenti militaris violatam religionem deſignet, nec ad Imperiale vexillum niſi generaliter & ex longinquo referri poſſit, facilius brevitatis veniam nos impetraturos ſperavimus, quam

quam lineæ vel ruptæ vel desertæ, quæ ad Imperiale vexillum arctius tractationem nostram propiusque adstringit. Unde nec sub hoc capite expectari à nobis debet, ut diffusam narrationem texamus *de usu signorum militarium in universum*: perstringendus tamen annotatione summaria veluti per indicem fuerit *usus vexillorum*:

I. *In bello promulgando & convocando exercitu*: de quo *Servius* distincte ad illud *Virgilij*: AEn. VII, 1.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Exemplum recentius neque alienum ab hoc loco *Albertus Argentinensis* exhibet de Carolo IV. Reg. Rom. *Qui audito, quod Rupertus Dux Bavariæ haberet castrum dictum Nova Curia, distans ad unam leucam à civitate Spira, in qua latitarent latrones, qui mercatores transeuntes publicam viam versus Wormatiam, in nemore dicto* Rechholtz *despoliarent: statim bannerium suum, quod dicitur* Sturm-Fahn *super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit & populo civitatis ad arma mandari per magistros civium præcepit.* Chron. A. C. 1349.

II. *In prælio indicendo*: quo referunt *Cæsaris* illud: *Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret.* Add. *Lips. ad Tac. I. A. 39, 3.* de B. G. II, 20.

III. *In acie ordinanda: cohortibusq; & ordinibus distinguendis*: cujus rei gratia Ægyptios primum signa militaria excogitasse, *Diodorus Siculus initio Bibliothecæ* refert: de quo copiosa scriptorum militarium præcepta extant. vid. *Mauric. Strateg. lib. I. c. 2. & lib. 2. c. 13. 19. post Veget. de Re mil. III, 5. Leonem & Constantinum Porphyrogenetam in Tacticis passim.* I, 86.

IV. *In deditione facienda*: *Godfridus Colonienſis* de Mediolanensibus: *Omnis illa terribilis acies ad castra Cæsaris prostrata, pacem & misericordiam postulabat, nudos in cervicibus gladios portantes. Certatim quoq; ad Imperatorem currentes vexilla cunctarum urbium ipsi resignaverunt.* Putant & illud *Scævæ* apud *Lucanum* huc pertinere: Annal. A. C. 1175. Pharsal. VI, 242.

—— pacem gladio si quærit ab isto
Magnus, adorato submittat Cæsare signa.

Sed vexilla submittunt non illi tantum, qui Imperio alterius subsunt

sunt, sed & ii, qui nihil aliud quam potentiam alterius veneran-
tur, quique ex fœdere inæquali tenentur majestatem alterius co-
miter habere: quod legibus & formulis nauticorum præsertim
sive maritimorum fœderum caveri solet: quibus diligenter ple-
rumque videas definiri: **Welcher Theil vor dem andern soll die
Flacken oder Segel streichen.** Add. *Henric. Vales. ad Amm. Marcel-
lin. lib.* 26. *p.* 324.

V. In inaugurationibus Principum aliisque solennibus publicæ
pompæ spectaculis: *In Cerimoniali Romano*, Imperatoris in Ur-
Lib. I, Sect. 5. c. 3. bem Romam ingressus hoc modo describitur: *Postera die Cæsar
per portam quæ est sub arce S. Angeli hoc ordine quasi triumphans ingredi-
tur: Primo die equites vexilla duo Cæsaris portant, alterum S. Georgij quod
ad Suevorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum.* & jam olim in cele-
brando Honorij Aug. consulatu IV. describente *Claudiano:*

d. IV. Cons. Honor. v. 5.

*—— armorum proceres legumq; potentes
Patricios sumunt habitus, & more Gabino
Discolor incedit legio, positus q; parumper
Bellorum signis sequitur vexilla Quirini.*

Et in ingressibus in urbem atq; triumphis ambitiose semper Ro-
mani Cæsares *vexilla hostium, Legionum, collegiorum auro argentoq; ri-
gentia* ostentant. Exempla vid. in *Trebellij Pollion. Gallienis: Vopi-
sci Aureliano: Amm. Marcell. lib.* 16. *p.* 75. *& seq. ed. Lindenbrog.*

VI. In judiciis exercendis: quò adhibita sequiori ævo vexilla,
citationis præsertim causa, eaque ratione *bannum* dictum à *ban-
neria* plures tradidere, relati *Lexicographis Juris Publici* & apud *Gai-
lium de Pace Publ. l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. *Gryphiander* tamen, quanquam &
de Weichb. Sax. c. 67. n. 14. ipse *Iliconem Ummium* secutus, *erectionem vexilli veteri consuetudine
pro citatione habitam* tradidisset, *vexilla judiciis appensa nullibi legi asse-
rit.* Apud Romanos olim, cum centuriata comitia haberen-
c. 68. n. 10. tur, vexillum in Janiculo statutum confirmant illa ex *oratione
Consulis ad Quirites* apud *Livium*: *Majores vestri ne vos quidem nisi cum
vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus eductus esset, temere coi-
re voluerunt*: & uberius explicat *Dio Cassius lib.* 37. *ed. Leunclav.*
XXXIX. 15. *pag.* 42.

*VII. In feudis regalibus solenni investitura conferendis, aut reno-
vandis*: cujus cerimoniæ descriptionem in exemplis memorabi-
libus

libus exhibent *Otto Frisingensis de vit. Frid. I. lib.* 2. *c.* 5. & jungendus illi *Guntherus in Ligurin. lib.* 1. *Mameranus apud Goldastum in Politicis Imperialibus. p.*386. & cũ eo conferendus *Sleidanus lib.* 20. *p.*347. Addatur descriptio investituræ Ducum Pomeraniæ apud *Goldastum in Politicis Imperialibus VI.* 3. & *Crusium in Annalibus Suevicis p.* 3. *lib.* 11. *c.* 6. An autem hodie in usu adhuc mos iste? disquirit & contra dissentientes affirmat *Limnæus Addit. ad Jus Publ. tom.* 1. *ad lib.* 4. *c.* 7. *n.* 32. Cætera quæ huc pertinent exequuntur *Interpretes Iuris Feudalis ad* 1. F. 14. *&* 2. F. 10. tum *Commentatores in Auream Bullam ad cap.* 5. §. 1. Annumerata autem & alias militaribus præmiis vexilla non ex veteri tantum instituto Romanorum, ex quo *Probus donatus hastis puris quatuor, vexillis puris quatuor. ap. Vopisc. in Probo cap.* 5. *Aurelianus hastis puris decem vexillis bicoloribus quatuor* apud *eundem in Aurelian. c.* 13. memoratur, dignumque habitum esse constat quod elogiis & titulis sepulchrorum insereretur, si quis bellica virtute vexillis ab Imperatore donari meruisset. vid. *in Opere Gruteriano* p. CCCLXXV: *inscr.* 1. CCCCIII, 1. CCCCXIV, 8. CCCCXXX, 5. CCCCXXXVII, 7. CCCCXCIII, 1. CCCCXCVIII, 13. MXXVIII, 6. Sed recentioribus etiam exemplis potest confirmari: inter quæ fas fuerit in publicam notitiam vindicare insigne Friderici III. Cæs. munus: à quo ipsum Imperiale vexillum, ob navatam fortiter operam in expeditione Burgundica, cujus supra mentionem fecimus, dono acceperunt Argentinenses: quod cum è castris Cæsaris domum referret *Jacobus Bockius hypostrategus copiarum nostrarum*, nam supremus præfectus Müllenhemius cum sedecim equitibus apud Cæsarem manebat, *Spirâ literas ad Senatum d.* ☾ *post Margaretæ.* 1475. hoc tenore perscripsit: *Se venia Cæsaris jam redire & d.* ☿ *circa meridiem in Urbe fore; Cæsarem sex civitatibus* (den sechs Stätten) *vexillum Imperiale commendasse in singulos dies alternatim & per vices gestandum, ita ut revoluto sex diebus, orbe, à primis denuo initium fieret; cum itaq; Argentinenses in omnibus civitatum negotiis primum locum obtineant, vexilli quoq; gerendi munus illis primo die obtigisse:* Und hat sich hiermit (pergit ille) also geschickt / do die K. M. mit sampt Kur-Fürsten und Fürsten öch mit allem Heerzug wider in Cölne gezogen ist / do hant wir deß H. Richs Vendle mit

vid. Claud. Salmas. ad h. l.

dem Adeler aber gehabt / nun im Velde allernächst by Kölne do hat Herr Lips von Müllnheim und Hans von Kageneck mit unserm Gn. Herrn dem Margr. von Brandenburgk geredt / und sin Gnade gebetten / einer Statt von Straßburg uß Kayserl. Gewalt und Macht die Ere lossen geschehen / und deß Heil. Richs Ventlin uns gunnen und lossen / der Statt Straßburg heim zu bringen / angesehen jhr kostliche gehorsame und gutwillig Dienst. Solches ist uwer Wißheit gegunt mit gutem Willen und uch lieber den andern Stätten. Q. Was wir uns mit demselben Venlin halten sollent ob wir es an ein gleen sollent slahen / und offentlich in uwer Statt führen / oder es in dem Trog lossen teschlossen ligen do es inne lit.

Sed hæc quidem quanquam præclara sint & annotatione non indigna, ad vexillum tamen imperiale non nisi communiter respiciunt: cujus usus vere demum eximius, solennis, singularis, proprius in hoc consistit, quod in expeditionibus Imperii publicis, commune totius Imperii auspicium exhibet & repræsentat: quo quantum reconditæ majestatis, venerationis, efficaciæ contineatur, calamo designari in hoc transcursu non potest: quatenus id tamen obvia magis faciliorique observatione atque descriptione se patitur comprehendi, haud difficulter queat referri, *tum* ad obligationem, *tum* ad Jus Statuum Imperii. *Obligatio* Statuum in eo consistit, quod erecta explicataque Imperii Aquila & expeditione Imperii nomine nuntiata, Status ad Imperiale vexillum convocati, instructo probe & secundum calculum Imperii publicum numeroso milite adesse tenentur, & quo Cæsaris mandato vexillum Imperiale fertur, eò qua Imperio adstricti sunt fide, sequi: ita ut nec abscedere à vexillo Imperiali nisi Cæsaris venia possint. *Jus* Statuum maxime insigne in eo versatur, quod expeditione solenni vexillo Imperiali adjuncti, abstrahi ab illo atque alio ablegari inviti non possunt. Omnibus quidem in universum Statibus tribuere jus istud non ausim: sed Argentoratensis certe Civitas acriter illud cordateque sibi asseruit, memorabili exemplo, quod dicam: Tempore quo contra Carolum Audacem, Burgundiæ Ducem, non Novesio magis, quod obsidebat, quam Imperio gravem infe-

infestumque, Fridericus III. Imp. insignem ex Imperio exercitum contraxerat, Argentoratenses quoque cum lecta militum manu Cæsari adfuisse, jam ex iis quæ superius dicta sunt potest intelligi. Locum castris Cæsar subjectos Coloniæ Agrippinæ campos delegerat: ubi cum trahere bellum contra hostem ferocem statuisset, ut tamen consilia ejus & conatus omnes ex propinquo certius specularetur, nostris mandavit, ut oppidum imminens castris Burgundi, Suntinam, sive Sunzium nominant, occuparent, eique ad aliquod tempus essent præsidio: verba mandati hæc fuere:

Vnsern und des Richs lieben getruwen N. den Houptluten der von Straßburg Volk.

Fridrich von Gotts Gnoden Römischer Keiser/ zu allen ziten merer des Richs.

LIeben getruwen / Wir haben bestelt / das jhr mit uwerm Volk etlich tag zu Sunz ligen sollent / und begern daruf an uch / jhr weller uch mit demselben uwerm Volk doselbhin gen Sunz fügen / und do bis uf unser ferrer geschefft uwern leger haben / daran tuet ir unßer meynung und gut gevallen. Geben zu Collen am Frytag vor dem Suntag Misericordia Dom. An. LXX Vto. Vnsers Keisertumbs im vier und zweintzigsten Jore.

Ad mandatum proprium Dom. Imperatoris.

Hæc postquam ad præfectos nostros essent perlata, illi in tanta re nihil temere aggrediendum rati, quanta possunt celeritate ac diligentia Suntinam se conferunt: exploraturi locum fidei suæ atque tutelæ destinatum: quem ubi neque validum munimentis ad vim ac impetum hostium sustinendum, neque annona cœteroque apparatu militari ad tolerandam obsidionem instructum comperêre, inde propere in castra Cæsaris reversi, cum apud se decrevissent quocunque modo efficere, ne certissimo periculo atque dedecori suos cogerentur objicere, ad mandatum Cæsaris respondent: **Die K. M. habe an die Statt Straßburg begehrt / daß man sin K. gnaden solt Volk zuschiken/ alsdann**

alsdann wolt sich sin K. gnaden fügen in das Veld / und fürter mit hilff Gotts mit hereskrafft den Hertzogen von Burgun, underston zubestritten: uf inhalt der mandat werent sie uffgevertiget zu siner K. gnaden / wann und uff wellicher zit sin K. gnade in das Veld zihen wer oder wem das zu tun an statt siner K. gnaden empfohlend wurde / undertäniglich und willielich nachvolgen / mit samt den Fürsten / Herren und Stetten / und warten uff des Heiligen Richs Banner / aber das sie empfehle hätten / einich nebent Läger zunemmen / oder sich zu tun von Fürsten / Herrn / oder Stetten / oder des Heiligen Richs Banner / herten sie nit. Simul scriptis festinanter ad Senatum literis *d. domin. Jubilate A. LXXV.* Eum & quid Cæsar mandasset & de suo responso reddunt certiorem: cumque Cæsar denuo urgeret mandata priora, iterum Senatum per literas *d. vener. post domin. Jubilate Ao. LXXV. scriptas*, de periculo suo edocent, si se abstrahi à Vexillo Imperiali paterentur: simul addunt, alias Civitates peculiariter se alicui Principum adjunxisse, sub quorum patrocinio ductuque sæpe præclara facinora perpetrent: suam virtutem ita notam in exercitu Imperatorio esse, & de ea tam bene sentire Principes, ut nisi Senatui aliter videretur, facile reperturos se sperent, à quibus cupide & magno cum honore suo reciperentur. Respondet ad hæc Senatus: quod ad mandatum Cæsaris respondissent præfecti, id se censere ex officio & dignitate bonorum ac fortium virorum esse responsum: cœtera in re præsenti ipsos Præfectos rectius atque prudentius æstimaturos: Literarum istarum hæc in tabulario Reip. formula extat:

Wir Diebold von Mülnheim Ritter der Meister und der Rath zu Straßburg / Entbietent den Strengen Vesten und Erbern / unsern der Statt Straßburg Houptlüten und Ratsfründen im Keiserlichen Here / was wir früntschafft und guts vermögent / noch verhörung uwer geschrifft uns by Speckel den Botten gesand / Tunt wir uch gütlich zu wissen / daß uns gar wol gevellet uwer Antwort wie jr dann uff unsers Allergnedigsten Herrn deß Römischen Keisers anmutunge Schloß und Stettels Sunt halb an uch bescheen geantwort haben / und uch erbotten / by des Heiligen Richs baner zu bliben im Velde zu helffen striten / stürmen /

men/und zu tun was frommen Lüten wol anstande/uns beduncket ouch/daß jr uch damit erelich und redelich erbotten haben/und wir zwifeln auch nit was uch fürter anlanget/jhr wissent uch darinne noch gebürlichheit aber wol zu halten/fürbaß als jr uns schriben/daß sich etlich Stette zu etlichen Fürsten geton haben/was jr darinne tun sollen oder nit. Ist unser Meynunge/welchen Fürsten deß Richs Venlin empfohlen würt/an stat der Keyserlichen Majestat/so verston jr selbs wol was darinne oder noch aller ander gestalt/der wir nit wissen was sich machen möchte/uch gebürlich und uns erlich und nutzlich ist zu tun/Darum so tunt in den di gen allen das beste/was uch dann nach uwer besten Verstentnisse/by uwern Eiden das beste geraten beduncket/als wir uch deß und aller eren und alles guten wol getruwent/Geben uff Mitwoch nach dem Sontag Cantate Anno LXXV.

Interim Cæsar nihil sibi omittendum ratus quo nostros ad cetera obsequia firmius adstringeret, à Senatu per epistolam petit ut ad præstandum sibi sacramentum suos adigeret. his verbis:

Friderich von Gottes Gnaden Römischer Keiser zu allen Zyten Merer deß Richs/etc.

ERsamen lieben getruwen/wir haben an dem Volck und Zeugk so jr uns jetz wider den Hertzogen von Burgundi hergeschickt habet/sunder danck neme gefallen/und begeren daruff an uch mit ernst entpfelhende/das Jr uwern Houptlüten desselben uwers Volcks fürderlich herabe schribet und ernstlich schaffet und bestellet/daß sie uns Glübde und Eide tun/uns in der Hilff wider den genanten von Burgundi von uwern wegen getruw gehorsam und gewertig zu sin/als sich dann gebürt/und domit nit verziehet/des tun Wir uns gentzlich zu uch verlossen/Geben zu Collen an Fritag vor dem Sontag Jubilate Anno Dom. lxxv. Unsers Keiserthumbs im vier und zwentzigsten Jore.

Ad Mandatum proprium

Dom. Imperator.

Hoc sic est acceptũ à Senatu, ac si nihil aliud quã præsidium & robur mandatis prioribus quæreret Cæsar, quo facilius nostros à

Vexillo Imperiali Suntinam removeret: itaque agendi de ea re cum Cæsare hanc ad Præfectos suos formulam misit.

Allergnädigster Herr/als uwer Keyserlich Gnade den Reten der Statt Straßburg hat tun schriben und entpfehlen/mit uns zu schaffen und zu globen und zu schweren uwern Keyserlichen Gnaden in der hülff von unsern wegen/wider den Hertzog von Burgunde getruwe gehorsam/und gewertig zu sin/sollichs haben sie uns empfohlen zu tun mit sollicher luterunge/daß wir und die jren/nit von uwern Keyserlichen und des heiligen Richs Baner in ander Leger geleit werden/sonder by demselben Baner bliben/als unser Alforderen in semlichen Geschefften by sollichem Baner je und je blyben sint.

Simul additæ literæ prolixiores, quibus quid in universo eo negotio sibi foret agendum prudentissima omnium momentorum & circumstantiarum discretione præfecti monebantur, & id hoc quidem tenore:

WIr Diebold von Mülnheim Ritter/der Meister und der Rath zu Straßburg/Entbieten den Strengen und Erbaren unsern der Statt Straßburg Houptlütten in dem Keiserlichen Heere/was Wir fründschafft und guts vermögent/und schicken uch hie ein copie, wie Unser Allergnädigster Herre der Römische Kayser uns hat tun schriben/Glübte und Eide der gehorsamkeit halb/so sin Kayserliche Mayestat von uch begerten/und ist daruff unser Meinunge/ob jhr uch vor zukunfft diß Briefes an anderer Stette Houptlüten nit erfaren hetten/daß jr dann in einer geheim an jr zween oder dryen von den redelichsten Stetten erfarẽ/ob solch sweren auch an sie gemütet sy/oder ob es an sie begert würde/zu was willens sie darinne geneiget werent. Jtem ob es an ander Stette nit begert were/so haben villicht dieselben Stett vormahls der Kayserlichen Mayestat selbs gesworen/darumb und noch dem wir vernommen/daß in andern grosen Heerzugen gesehen/und auch gewonlich sy/daß man geschworen habe/dem Obern Hauptmann getruwe und gehorsam zu sin in Sturmen/in Striten und in Velt-Geschefften deß Herezuges/so haben wir auch wohl bedocht/wie Jhr uns vorgeschrieben haben/daß an uch gemutet sy/uch gen Suntz lossen zu legen/und daß

zu

zu bewaren/etc. Wann jr do die Gehorsamkeit swuren/so wurdet jhr dem Eide noch gemant desselben gehorsam zu sin/damit jr uß dem Kayserlichen Here zertrennet / oder von dem Kayserlichen und des Richs Baner abgesundert wurdent / daß uns nit lieb wer / noch dem vor alten Joren by lobelichen gedechtnißen alten Römischen Kayserlichen und Küniglichen Herezugen / Unßer altforderen so die Zit dozu gesandt worent allewegen by des Heyligen Richs Banier gewertig und gehorsam geweßt und bliben sindt / Solichs wie es also by alten Züten gehalten und Unßer alt herkommen ist / haben Jhr uch als wir in uwer geschrifft verstanden haben / vor müntlich erelich und redelich erbotten/ demnoch so ist Unßer Rath / daß Jhr uch zu der Kayserlichen Mayestat fugen und reden; Allergnädigster Herr / als uwern Kayserliche gnade den Räthen der Statt Straßburg / hat tun schriben und entpfelhen mit uns zu schaffen / zu globen und zu sweren uwren Kayserlichen gnaden in der hülff von unßerwegen wider den Hertzogen von Burgunde getruwe gehorsam und gewertig zu sin/ solichs habent sie uns entpfolhen zu tun mit solicher lüterunge/ daß wir und die jren nit von uwerm Kayserlichen und deß Heyligen Richs Baner in ander Leger geleit werden / sonder bliben by uwrem Kayserlichen und des Heiligen Richs Baner / als unßer altfordern je und je bliben sindt / und je ouch hoffen daby von unßerwegen erelich und redelich zu bliben und ouch getruwelich zu thun / alles das from̃ Lute alß siner Kayserlich gnade und des heiligen Richs underthonen billich tun sollent. Dodurch jhr in unzwiselicher hoffnunge stont / von siner Kayserlichen gnaden gnädigen dank gehorsamtlich und gutwilliglich zuverdienen/ und bitten sin Kayserlich Mayestat demütiglich / solch uwer demütig erbieten gnädiglich uffzunemmen; were aber daß die Kayserliche Mayestat dorüber meinen wolt/ jr solten die obgemelt lüterung abstellen / und siner gnaden die gehorsamkeit unverdinget sweren/er wolt uch dannoch by sinen und deß Richs Venlin lossen bliben/und doby zu den ehren bruchen/so swerent in dem nammen Gotts / und tunt mit Gotts hülff das beste / Wolt aber kein solich gnädig wort uch begegnen / sunder je straks beharret werden / jr solten one alle fürwort sweren / so redent / jr wellent als underthänige

thänige gehorsamen sweren uff gnade und uff gut hoffenunge / jr werdent gnädiglich geloßen bliben by dem Kayserlichen und des Heyligen Richs Baner / Es werde ouch von siner Kayserlichen gnaden gnädiglich bedocht / der Statt Straßburg groß darleigunge Cost und übunge so sie jetz mit jrem Volk und Gezüge mercklich donydenan habe / ouch vormals etwa lange Zyt in Oberland gehabt und noch hat / mit eim reisigen Gezüge zu Mümpelgart / dorzu jetzt ouch einen ritenden Gezüg / dorüber Herr Friderich Bock Ritter / und Herr Peter Schott alt Ammeister Houptlüte sind / uff hüt ußgesant / zu ritten zu unßern Fründen von Bern und etlichen jren Eidgnossen / als die in Obern Burgunde zu Velde gezogen sint / und willen haben / etwas trefenlichs fürzunemmen / mit hülff des Allmächtigen Gottes / solichs und was uch beduncket gnade und guten willen zu bringen / sagent der Kayserlichen Mayestat und tunt das beste als Jr wol können / und wir uch des besunder getruwen. Geben uff Samstag nach Cantate Ao. LXXV.

Sed Cæsar de fide nostrorum atque virtute ex multis atque illustribus spec[illegible]inibus certus, eis remissa obsequendi necessitate, jure suo integro atque illibato, & plurimis insuper in ea expeditione, Augustæ benevolentiæ gratiæque pignoribus frui, permisit.

FINIS.

BIBLIOTHEK PONICKAVIA

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000 Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11531-p0047-9